Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Eberhard Friedrich Hiemer Christoph Matthaeus Pfaff

Acta Doctoralia Hiemeriana, Id Est, Eberhardi Friderici Hiemeri ... Dissertatio Inauguralis Theologica ... De Moderatione Theologica, porto Facultatis Theologicae Tubingensis Programma Doctorale : & vel maxime Christophori Matthaei Pfaffii ... Oratio promotoria De Signis Praesentium Temporum Spiritualibus Et De Felici An Infelici Ecclesiae Hoc Aevo Statu ; Cum Oratione Doctorali De Babelis Eversione a Promoto habita

Tubingae: Sigmundus, 1720

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0001
DFG

189 a. B.
48. b. 8.

Fa-1092(4.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0003
DFG

16. a.

ACTA DOCTORALIA HIEMERIANA,

ID EST,

EBERHARDI FRIDERICI HIEMERI,

Sereniſſimi Wirtemb. Ducis Conſiliarii Eccleſiaſtici & Concionatoris Aulici

DISSERTATIO INAUGURALIS THEOLOGICA
pro Gradu Doctoris Tubingæ defenſa

DE

MODERATIONE THEOLOGICA,

porto

FACULTATIS THEOLOGICÆ TUBINGENSIS
Programma Doctorale,
& vel maxime

CHRISROPHORI MATTHÆI PFAFFII,

Facultatis ejusdem tum Decani & Promotoris, nunc
Acad. Tubingenſis Cancellarii & Eccleſiæ Præpoſiti
Oratio promotoria

DE SIGNIS PRÆSENTIUM TEMPORUM SPIRITUALIBUS
ET DE FELICI AN INFELICI ECCLESIÆ HOC ÆVO STATU
Cum Oratione Doctorali
DE BABELIS EVERSIONE
a Promoto habita

TUBINGÆ, literis JOSEPHI SIGMUNDI A. MDCCXX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0007
DFG

Monitum Typographi ad Lectorem.

Cum dissertatio inauguralis de Moderatione Theologica quam Dignissimus D. D. HIEMERUS sub præsidio Magnifici, D. D. PFAFFII defendit, ita illico distracta esset, ut nullum anhelantibus exemplum suppeditari amplius posset, cum & Oratio promotoria celeberrimi ejusdem D. D. PFAFFII a multis anxie ad prælum desiderata hactenus fuerit, cogitavi, me haud male facturum, si acta ista Doctoralia in unum fasciculum compingerem tibique, lector benevole, sic traderem. Itaque fave jam, si placet, instituto & fruere labore hoc nostro ac vale.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0008
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
EBERHARDO LUDOVICO,
DUCI WIRTEMBERGIÆ AC TEC-
CIÆ, COMITI MONTISPELIGARDI,
DOMINO IN HEYDENHEIM,
DOMINO SUO AC HERO LONGE CLEMENTISSIMO,
ACTA HÆC DOCTORALIA
SUBMISSISSIMIS MENTIBUS MANIBUSQUE OFFERUN-
DEUMQUE PRECANTUR,
UT
SERENISSIMO HUIC PRINCIPI
FAUSTISSIMUM REGIMEN
CUM OMNIBUS GRATIÆ SUÆ PRÆSTANTISSIMÆ
THESAURIS LARGIATUR,
SEQUE INSUPER PERENNATURÆ
EJUSDEM CLEMENTIÆ
ENIXE COMMENDANT
CHRISTOPHORUS MATTH. PFAFFIUS, D.
ACAD. TUBING. CANCELLARIUS,
ET
EBERHARDUS FRIDERICUS HIEMERUS, D.
CONSILIARIUS CONSISTORIALIS ET CON-
CIONATOR AULICUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0009
DFG

I. N. D. J. C.

§. I.

ARduum sane & grave munus Doctoris Theologi, sive Academici, sive Ecclesiastici est, atque, si felix ipsius successus esse debeat, requirit dona & χαρίσματα plane singularia, per quæ reddatur homo DEI ad omne bonum opus τῆς διδασκαλίας, τῦ ἐλέγχυ, τῆς ἐπανορθώσεως ϗ τῆς παιδείας perfecte instructus. Sunt autem ejus dona aliqua* naturalia, quæ a prima statim infantia apud plurimos

A

* Conferatur D. D. *Pfaffius* in dissert. de vitiis eorum, qui sacris operantur. Observantur enim aliquando vitia naturalia in iis, qui literas sanctiores sibi tractandas sumunt, qualia sunt ingenium stupidum bardumque & incapax, mores rustici, quos educatio plebeja conflavit &c. ubi omnino existimamus, ejusmodi homines a sacris hisce quovis modo abigendos esse.

mos manifesto sese produnt, & per subsequentem probam educationem informationemque poliuntur & excoluntur, quo eximio naturæ & educationis beneficio tota postmodum ætas in omni negotiorum & officiorum diversitate feliciſſime utitur.

§. 2.

Comprehenduntur alias hæc dona naturalia* sub titulo donorum administrantium, quæ quidem sola

---

Sunt quidem non pauci, qui initio studiorum tradioris sunt ingenii, neque facile aliquid capiunt, at duritiem naturæ judicio acriore, invicto labore, diligentia, assiduitate & constantia incredibili compensant, hi quandoque præstantiora ingenia vincunt, &, quanquam tardius, amplos tamen ex vigiliis & lucubrationibus suis fructus colligunt. Vid. Disput. de ingeniorum tardiorum felicitate in docendo M. *Sigism. Jac. Apini Altorff.* 1719.

De his donis naturalibus plura dicenda essent, si instituti ratio id ferret, quod me pedem referre, hoc tamen addere monet: hic sane cogitandum esse Theologiæ studiosis, quam recte collocent dona naturalia? annon aut torpore eo corrumpi patiantur? aut mollitie & luxuria destruant? & ex altera parte: annon nimium sibi ipsis placeant, supercilium tollant & in meris donis istis acquiescant? Cogitare eos velim verbum Domini de fide præstanda in talento minoris ponderis, si majora sint credenda.

*Auctor *Anonymus, qui est Henricus Henniges*, in medit. ad *Instrum. Pacis Cæsareo Suec. Specim. VI.* ita docet: *Insignis est impostura nostrorum distinctio inter dona Ministrantia & Sanctificantia, qua ordinem suum & dignitatem tuentur, quasi vocatio humana Spiritui San-*

sola ineſſe Miniſtro & Doctori Eccleſiæ, ipſumque idoneum aliqua ratione reddere poſſunt: Cum vero

Eto hanc dicere legem poſſit, ut donis ſuis & auxilio aſſiſtat, quorum vitam & mores fugit. Ad quem locum notamus 1. Irregenitis etiam modo extraordinario quandoque dona miniſtrantia concedi, quod tamen de nullo affirmandum eſt, niſi manifeſto appareat apud illum, quod id, quod loquitur, ſit ſupra vires naturæ, uti habemus Exemplum *Bileami.* 2. Dona naturalia etiam vocari miniſtrantia, hoc ſenſu, uti v. g. Miniſter non converſus Philoſophiam quandam de rebus Theologicis habet, vel, ut clarius dicam, naturalem apprehenſionem ſenſus Verbi Divini, ex naturali verborum perſpicuitate hauſtam, aliis viris vere illuminatis & cordatis optima quæque ſuffuratur, eademque diſtincte & bona cum gratia aliis proponit, atque hoc modo Eccleſiæ miniſtrat. 3. Veri autem nominis Miniſtrantia eſſe debent Spiritualia, & in nullo, niſi vel vere regenito, vel ad minimum in via converſionis ſtante Subjecto reperiuntur, unde hoc addimus: Uti non raro accidit, ut Miniſter Eccleſiæ nondum plane ad DEum converſus, motus tamen ſpirituales in corde ſuo per Spiritus S. pulſantis gratiam, iſto tempore, quando Verbum DEI tractat, ſentiat: ita ipſum habere quoque dicimus eodem tempore dona quædam majora, quam naturalia, quæ dicuntur Miniſtrantia Spiritualia; aſt, uti poſtmodum motus iſti iterum evaneſcunt, nec talis ad ſtatum converſionis ulterius accedit, ita evaneſcere quoque illa dona miniſtrantia Spiritualia, & hinc dicenda eſſe tranſitoria, quæ ad certum tempus ſubjecto non plene converſo ineſſe poſſunt. Denique hæc connexio argumenti non abſolute vera eſt: Quorumcunque mores Spiritus Sanctus fugit, apud illos plane nulla Spiritus Sancti gratia quæri debet: Quia etiam circa impios quosque, ſive Miniſtros, ſive Auditores gratia Spiritus Sancti prima, prævenięns, pulſans, operoſa eſt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0013
DFG

in ſenſus tantum incurrant, eosque naturali tantum, vel ſenſus externos vel affectus quoque percellente commotione afficiant, non tantum ſola non ſufficiunt, ſed & multis periculis obnoxia ſunt.

§. 3.

Alia igitur quoque ſunt dona, & quidem præcipue ad partes Theologi rite obeundas neceſſaria, quæ Spiritualia dicuntur, intellectumque non tantum vere illuminant, ſed & voluntatem charitate DEI replent, & tam veri nominis miniſtrantia ſunt, quam ſanctificantia, atque efficiunt Doctores Eccleſiæ ἔχοντας τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, i. e. qui veritate fidei ſunt imbuti & ſanctitate vitæ conſpicui; De quibus graviter diſſerit *Paulus* 1. Tim. III. conf. Tit. I. atque fidelibus communes eſſe debent, ſed & præcipuas quasdam & peculiares requirit & nominat, idque ea de cauſa, ut Timotheus normam habeat, juxta quam eos, qui Epiſcopatum expetunt, examinet atque æſtimet, inſimulque inordinatam appetentiam hujus muneris in animis ambitioſorum reprimat. Ex harum virtutum numero eas nunc præprimis notamus, quæ ad moderationem Theologicam, de qua ex inſtituto diſſerere animus eſt, omnino vel per ſe requiruntur, vel per accommodationem ad majorem Thematis noſtri dilucidationem trahi poſſunt. §. 4. Di-

§. 4.

Dicit igitur Apostolus 1. Tim. III. v. 2. 3. Δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον σώφρονα εἶναι, μὴ πλήκτην, ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἄμαχον. Ad primam vocem σώφρονα quod attinet, transfertur illa a *Luthero* mäßig. B. *Gerhardus* ad h. l. ita habet: Σώφρων denotat hominem, qui est mente prudenti: usurpatur etiam pro moderato & temperante, sicut Demosthenes & Æschines σώφρονα καὶ μέτριον εἶναι conjunxerunt. Nos circa hanc vocem hoc unicum notamus: Uti *Paulus* in præcedenti vocabulo de sobrietate corporis, illam exprimendo per vocem νηφάλιος, locutus est, ita per vocem σώφρονα intelligit sobrietatem mentis tanquam in omnibus actionibus, præprimis ministerialibus, summe necessariam, quam & prudentiam, sensu strictiori atque specialiori, & moderationem animi oppositam vertigini spiritus atque affectuum pravorum perturbationi, quæ omnia mentem hominis quasi spiritualiter ebriam, vecordem, seu male sanam, ἄφρονα efficiunt, vocare licebit, atque sic sobria Ministerii administratio erit nobis nil aliud quam ipsissima moderatio, de qua loquimur, Theologica.

§. 5.

Res clarior evadet ex inspectione & consideratione loci 2. Tim. I. v. 7. οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς πνεῦμα δειλίας,

δειλίας, ἀλλὰ δυνάμεως, καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ. Sentiebat *Timotheus* ad officium Miniſteriale publicum initiatus meticuloſitatem quandam vel timorem humanum, pericula, quæ in officio Miniſtri quotidie occurrunt, ſubterfugientem, vel pudorem certe præpoſterum, quo quis quandoque veretur ea dicere & facere, quæ tamen ſui muneris ſunt. Huic igitur timiditati opponit *Paulus* Spiritum potentiæ, πνεῦμα δυνάμεως, (de quo ipſe *Paulus* in πάσῃ δυνάμει δυναμούμενος per Chriſtum Jeſum gloriatur Phil. IV. 13. πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ) atque *Timotheum* ſuum hortatur, ut fretus ope Spiritus S. ſepoſito metu offenſionis hominum fortiter ſuum faciat officium. Ne vero abutatur hac potentia & fortitudine modumque excedat, addit *Paulus*, ipſi quoque datum eſſe πνεῦμα ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ*, quibus excludatur omnis audacia & fe-

*Suſpectam habuit hanc vocem *D. Joh. Frid. Mayerus*, Diſſertat. de lenitate *Melanchthonis*, contra Ven. Facult. Theol. Hallenſem, ubi ea, quæ ipſe alias & quidem ſæpiſſime immoderato corde, ore & calamo dixit & ſcripſit, ſanctum pro Eccleſiæ ſalute zelum, quæ vero alii & præprimis Theologi Hallenſes, prudenter & moderate egerunt, teporem, qui nulla ratione probari poſſit, vocavit.

Rectius, quid ſit Spiritus Moderationis? ſub Præſidio *D. D. Pauli Antonii* Theol. Celeberr. Hallenſis tradidit *David Frid. Bohnſtedt* in Diſſert. Anno 1707. habita, in qua præprimis bene notanda, quæ pag. penult. Dign. D. Præſes ad Diſſert. Autorem de hoc argumento ſcripſit & addidit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0016
DFG

& ferocia, si quidem per vocem σωφρονισμὸν *est propre-ment signifié un Esprit saint & temperé, qui doit accompagner la force & la hardiesse, pour la retenir dans les bornes, enfin qu' elle ne passe point en temerité, en fureur, en crierie & en discretion.* Vid. *Samuel. des Marets Biblia Gallica. Matthæus Polus* placidum vocat ædificandi studium, *Joh. Crocius* ad h. l. fortitudinis temperamentum & allegat *Augustinum*, qui ita habet: Continentia hæc est virtus cohibens & continens animum Ministri in officio, ne timore, amore, odio, torpore, luxu aliove affectu immoderato imbuatur, dissolvatur aut enervetur, sed totus sanus sit & integer.

§. 6.

Ex quo loco ultro fluit, Moderationem hanc Theologicam non esse donum aliquod naturale, siquidem certum est, dari non paucos, qui natura moderati & sedati sunt ingenii, dari quoque homines molles, languidos, ad negotia gravia ineptos, qui, cum majora præstare non possint, & propter hebetudinem suam periculum facere sive aliquid in casu dubio pro gloria DEI Ecclesiæque emolumento tentare ex defectu virium nequeant, per injuriam profecto moderati dicuntur. Multo minus

minus hoc titulo digni erunt, qui, cum honoris DEI asserendi ergo ardorem & contentionem exercere nolint, virtutis hoc esse fingunt, vel virtutem esse credunt. *Uti e contrario multi, quod absque Domino agunt in spiritu fervoris, agere se arbitrantur zelo rectitudinis, & quod vere suscipiunt odio hominum, se exercere putant odio vitiorum: si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes, & si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eos.*

Vid. *Herm. van der Hardt* Hist. Reform. Lit. Part. III. de corrupto Ecclesiæ statu. p. 5.

Großgebauers Wächter-Stimm Cap. XIV. tot. von der schädlichen Bescheidenheit und Discretion der Kirchen-Diener.

Item *D. Joh. Mich. Langii.* dissert. de funesto *Eli* Sacerdotis Ministerio, ubi p. 16. hæc leguntur verba: Deficiunt a secreto DEI, Jer. XXIII, 22. Ministri, qui quidem, quæ vera sunt, sciunt, sed ne homines offendant, supprimunt & dissimulant, vel qui, etsi contradicant peccatis & erroribus, id tamen frigide faciunt, & lenius, quam conscientiarum & auditorii status postulat.

Pariter idem Theologus in dissertatione de Christo Propheta contemto in patria p. 9. Carnalitatis

tatis est & imprudentiæ, quando Pastores ex metu hominum, amore otii, vel ne reditibus suis atque favori obsint, aut etiam quia vim Spiritus Christi ignorant, miseris conscientiis desunt nec iis iniquitatem suam, turpitudinem & periculum extremum satis luculenter aperiunt & ob oculos ponunt.

Præprimis notandus est & religiosa attentione considerandus Locus Esai. Cap. LXII. v. 1. 6. & 7. Et ne imponatis ipsis silentium, Ihr sollet ihm kein Stillschweigen auffiegen / biß mam Jerusalem gründe und setze zum Lob auf Erden.

Add. *Luth.* Tom. VII. Jen. Germ. p. 97. b.
B. *Selneccerus* in Thren. II. p. 1.

§. 7.

Ita nec pariter ex sancto atque diviniori Moderationis Spiritu fluunt consilia Pseudo-Politicorum quorundam, qui, cum nullum aliud agnoscant discrimen Religionum, quam quod omnes Sectæ sola fide imaginaria & cerebrina a se invicem discernantur, nullam plane controversiarum inter Sectas habendam esse rationem existimant, atq; propterea nescio qualem Syncretismum, Indifferentismum, Neutralismum fovent, qui nec errores veritati adversos notare, nec refutare permittit, & quibus Religionis

gionis negotium videtur omnium viliſſimum. Quales Neutraliſtæ, quorum in Aulis & Curiis fere ubique non paucos reperire licet, vel neque hanc, neque iſtam religionem ſolide intelligunt, quantum diſcriminis inter utramque intercedat, vel ſi intelligunt, eo graviorem incurrunt notam, inſuper habentes diſcrimen iſtud ex contemtu mere carnali rationibusque mundanis atque Politicis, tanquam lis eſſet de rebus minime neceſſariis, vel negotio ſive methodo facili compoſſibilibus, **oder wann es nur ein Pfaffen-Gezänck wäre.**

Vid. *Gottlieb. Wernsdorffii* de Indifferentiſmo Religionum Comment.

§. 8.

Ad hanc claſſem Moderationis Politicæ, affectatæ & fucatæ referimus ea, quæ factioſiſſimi alias ex Pontificiis Doctores ſub ſpecie & colore Modeſtiæ ſeu Moderationis Theologicæ attentarunt. Inter quos * *Nicolaus Perenotus Granvillanus*, qui Oratione ſua, quam in Colloquio Wormatienſi habuit, nil niſi pacem & concordiam commendabat, quæſtionum controverſarum modum fieri, imo omnes diſcordias in ſempiternum extingui deſiderabat, & rem poſſe ſubito componi a ſtantibus, ſicut Judæi ſtantes agnum

* Vid. *Joh. Hoornbeck.* Summ. Controv. L. IV. de Papiſmo.

agnum sumebant, quo simili ipse utebatur, ajebat. Quam moderationem *Granvillani Melanchton* pacis cæteroquin studiosissimus fucosam appellabat, & ad *Camerarium* hisce verbis utebatur: *Non possumus in conciliationibus hisce insidias satis vitare*; Ad Præsides Colloquii pariter: *Fucosæ hæ conciliationes pacem nobis non restituent.* Unde si nostris temporibus quoq; ex Pontificiorum cœtu sunt, qui verbis sonant moderationem, pacem, concordiam, re ipsa tamen exigunt servitutem, ad unionem nos invitant & hortantur, ut in nostram fidem conscientiasque suam felicius exercere queant tyrañidem. Specioso autem Pacis titulo strui conscientiis insidias, intolerandam servitutẽ proponi & in aureo Babylonis calice omne virus Papismi propinari nobis, quis ferat?

§. 9.

An & Reformatorum de Moderatione Theologica non semel data consilia atque monita parem mereantur censuram, quæri nunc potest? In hac olim sententia fuisse plurimos nostratium omnino negari nequit, qui præter honoris verba, nihil in ejusmodi consiliis Irenicis exhibitum fuisse, & per ea exspectationi de pace & concordia factæ minime satisfieri potuisse, existimarunt.

Videatur (ut solos nominem Wirtembergicos)

Sigwvartus in Præf. Admonit. Christ. de Irenico Parei; *Wagnerus* in Inquis. Act. Henot. de formulis loquendi insidiosis p. 36. de voce *Jacobi* & manu *Esavi* p. 74. item p. 739. Conf. Tom. II. Dissert. *Balthas. Menzeri* de Lingua Synodi Dordrechtanæ Lutherana & mente ejusdem Synodi Calviniana.

Absit autem a nobis, ut eandem omnibus fraudem improperemus, ipsosque æque omnes subdole rem suam hoc in puncto tractasse existimemus. Id potius, quod *Wendelinus** olim de Theologis quibusdam Lutheranis, ego eadem Moderatione de Reformatis judico: Fuere inter Reformatos vere moderati Theologi (absit tantæ iniquitatis omnes insimulentur) quibus omnis inhumana vehementia & vehemens inhumanitas supra modum displicuit, qua non sanari sed magis magisq; lancinari Ecclesiæ Christi vulnera, & gratissima edi Pontificiis spectacula intellexerunt & deplorarunt. Interea & hoc fatendum est, plures esse hac nostra ætate, atque olim observare licuit, qui sinceriori mente, ore & calamo moderata sua consilia & cogitata nobiscum communicent, quibus & majorem fidem habere æquum est, atque imprimis illis, quos Universalistas vocant. Id unum dolendum est, & Universalistas a Particu-

*Exercit. Theol. Vind. pro Theologia Christiana oppos. *Joh. Gerhardi* Collegio Anti-Wendeliano.

a Particulariſtis numero plurimum vinci, & eſſe ex Particulariſtis, qui Univerſaliſtas deſertorum & transfugarum loco ſubinde habeant, quod, uti *Pacificus Verinus* judicat, propius ad alios, qui extra Eccleſiam ſunt, (Lutheranos ſine dubio) accedendi ſimulatione inter ipſa Eccleſiæ membra tumultus & turbas cieant, Et quam vellemus nos, ut Viri præſtantiſſimi, qui unionem Eccleſiarum Proteſtantium tantopere deſiderant, alias hic tibias pauliſper magiſque ad pacem facientes inflarent. Quid enim ex novo hoc contradicendi, accuſandi, & fere dixerim, calumniandi inter ipſos ejuſdem Religionis ſocios ſtudio pro pace Eccleſiaſtica, niſi alia adhibeantur remedia ſperare liceat, manifeſtum eſt non ſolum, ſed & vehementer dolendum.

Vid. **Kurtzer Entwurff der Lehre von der Beſchaffenheit der Göttlichen Rathſchlüſſen / betreffend der Menſchen Seeligkeit.** Anno 1714. **mit** conſens **der** Theologiſchen Facultät **zu Franckfurth an der Oder.**

Porro. **Theologiſche und Chriſtliche Gedancken über den kurtzen Entwurff der Lehre von der Beſchaffenheit ꝛc.**

Et denique. **Abgenöthigte Ehr- und Lehrrettung der Reformirten Kirchen von einem Liebhaber der Warheit/wider D. Jerem. Sterkii kurtzen Entwurff der**

Göttlichen Rathschlüß / ubi hæc verba leguntur: Wir Particulariſten verlangen ein mehres ꝛc. weil in Holland / Schweitz / Pfaltz / Heſſen / Anhalt / Brehmen ꝛc. alle Prediger Particulariſten ſind / auch die meiſte in Brandenburgiſchen Landen ꝛc. ibid. p. 71. werden 8. oder kaum 10. Univerſaliſten und viel 100. und 1000. Particulariſten gegeneinander gerechnet.

Add. Amica collatio Doctrinæ de Gratia, quam VERA Reformata confitetur Eccleſia contra D. Volkmannum Aut *Pacifico Verino*.

§. 10.

Moderatio itaque Theologica ſingulare Spiritus S. donum eſt, uti omnia alia dona ſpiritualia, ita tanquam præcipua pars iſtius ſapientiæ, quam commendat *Jacobus* Cap. III. v. 17. a DEO datore omnis boni ardentiſſimis precibus expetendum, atque in nullo niſi Regenito, divina Spiritus S. luce colluſtrato, veri itaque nominis Eccleſiæ Miniſtro fideliq; diſpenſatore myſteriorum divinorum quoad omnes & præcipuas ſuas partes locũ habens, ad διακονίαν τῦ πνεύματος & ad judicium ſpirituale de rebus ſpiritualibus quam maxime pertinens, atq; Miniſtri vel Doctoris mentem, judicium, verba, actiones dirigens & moderans, tum reſpectu ſui ipſius, tum ratione

ne

ne illorum, quorum cura ipsi demandata est; Item intuitu aliorum, quibuscum in quæstionibus fidei, Religionis & Ecclesiæ controversis res esse potest & debet, ne affectibus vitiosis in diversum rapiatur, insimul ut moderate ferat, quæcunque illi eveniant, prospera vel adversa.

§. II.

Intuitu ipsius & quidem cujusvis Doctoris Ecclesiæ **moderatio** hæc occupata est in moderatione judicii de se ipso, de suis donis, officio, virtutibus &c. unde Paulus: λέγω παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, cuivis (etiam illi qui sibi maximus & donis spiritualibus, conf. v. 6. 7. 8. præ aliis ornatus videtur;) *Quo enim quisque magis excellit donis aut officio, eo magis indiget modestiæ freno.* μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ne sapiat, supra quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, i. e. ne quis se solum sapere existimet, omnia sibi arroget, aliis deroget, sed potius, ut ex agnitione suorum defectuum & infirmitatum sumam humilitatem, obsequium & facilitatem in accipienda admonitione fraterna præstet, cedatque aliis potius, quam se extollat supra alios. Siquidem ex sublimi de sapientia sua opinione talis oritur tumor, qui plerumque plurimorum

rum errorum causa est. Reddit enim, ut Doctiss. *Werenfelsius* ait*, homines, (quanto magis Ecclesiæ Doctores, qui a præsumtione infallibilitatis quandoque facilius tentantur & seducuntur;) in judicando præcipites, in decidendo audaces, in sententia semel lata immobiles, in ea aliis obtrudenda violentos, rationes aliorum superbe fastidientes, etiam ad amicorum monita surdos & monitoribus asperos. Vid. Tit. I. v. 7. Δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον εἶναι μὴ αὐθάδη, quod est sibi placentem esse, vel coll. cum loc. 2. Pet. II. 10. pertinacem, contumacem, ut sensus hic esse possit: Quod Episcopus non debeat sibi eo modo placere, ut pertinaciter suæ opinioni inhæreat, contra vero neminem audiat, sed omnes suis cogat obsequi cogitatis.
Vid. *Gerhardus* in L. de Minist. Eccles.

§. 12.

Sapiat itaque ad sobrietatem veri nominis Theologus, i. e. caveat sibi quoque ab intemperantia sciendi, sive studio augendæ eruditionis & scientiæ nimio. Multa utique sunt, quæ quotidie discenda & docenda, atque ad veritatem stabiliendam, confirmandam, defendendam, casus dijudicandos,

* Vid. *Samuelis Werenfelsii* S. S. Th. D. & in Acad. Basilienſi Profess. Celeberr. Dissert. Theol. Sylloge.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0026
DFG

candos moresque hominum corrigendos sciri debent & possunt; nec unquam ad id doctrinæ fastigium nos ascendisse somniemus, ut non jam proficere in pluribus possimus, aut discendi studium deponere debeamus, prouti S. Augustinus ingenue de se confitetur: *Non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis Sanctis Scripturis multo plura nescio, quam scio.* Plura autem sunt & alia, quæ salva conscientia ignorari possunt & debent, rursus alia, quæ colorem quendam & speciem singularis sapientiæ habent, sed nullam certitudinem, soliditatem & ædificationem, ut animus pius in iis acquiescere possit, talia ad ostentationem singularis eruditionis & immoderatam ψευδωνύμε γνώσεως adauctionem qui sciunt & scire magis magisque allaborant, ut sciant, περισσὰ σοφιζόμενοι, ut *Gregorius Nazianz.* loquitur, plus certe damni quam emolumenti suo tempore sentient, præprimis in hora tentationis, mortis, judicii, cum manifestabitur, quid sit, quod collegerimus, vel aurum, argentum, lapides pretiosi, vel ligna, fœnum, stipula?

§. 13.

Ne quis etiam limites vocationis & officii sui transgrediatur, & alienas partes involet, quod vi-

 tium

tium πολυπραγμοσύνη sive multarum rerum, nihil ad nos pertinentium, dijudicatio, scrutatio & investigatio dicitur, & plerumque ex præsumtione* singularis prudentiæ & sapientiæ oritur, Moderatio,

* Quatuor hujus mali possunt esse causæ. 1. Interdum æmulatio, quæ pugnat de præcellentia & incendit animos. 2. Interdum ingenii pertinacia; quæ attrahit bellum. 3. Injusta gloriæ ambitio, eaque moventur res non necessariæ ab inquietis ingeniis. 4. Κακοζηλία, quæ est prava & inepta imitatio. *Philipp. Melanchthon.* in Præfat. ad Chronic. Carionis has causas prolixe recenset. *Deforme*, ait idem, *& turbulentum hoc vitium*, πολυπραγμοσύνη, *si dominatur in quocunque ordine generis humani, dat magna damna, sed maxima in Ecclesia & Republica. Unde & Autores plerumque sibi ipsis calamitates attrahunt & exitium.* Id quod notissimo *Joh. Funccii* exemplo constare potest.

D. Jacobum Andreæ a πολυπραγμοσύνη, cujus vitii ab *Arnoldo* Vir per εὐφημίας & δυσφημίας celeberrimus arguitur, alienum fuisse, evidentissimum in Actis Colloquii Mompelgartensis habemus testimonium: *Postquam enim* D. Jacobus *testatus esset, se de rebus Gallicis, quod ad Politica (præsertim motus in regno Galliæ excitatos) attinet, sibi judicium non sumere, quæ ad Jurisconsultos & ipsorum judicium pertinerent: ab ipsius autem professione aliena essent*: Dn. Baro de Cleroan *instabat, in veteri Testamento etiam Sacerdotes ab Israelitis consultos fuisse. Cui* Dn. Iacobus: *quo minus ipse exemplo summi Sacerdotis responderet, unum sibi deesse, videlicet pectorale: in quo duodecim gemmis nomina* 12. *tribuum Israelitarum inscripta fuerint: quo indutus summus Pontifex, sic* DEO *ordinante, populo interroganti responderit. Sibi autem dictum esse, ajebat* Dn. Jacobus: *Qui me constituit Judicem inter te & fratrem tuum? Cui responso cum subridens* Baro de Cleroan *ac-*

tio, quæ Theologo commendatur, omnino postulat. Quotidiana siquidem vox est Pseudo-Politicorum quorundam*. Der Pfarrer soll bey seiner Bibel bleiben / soll sich nicht mehr annehmen / als ihm befohlen seye; Ubi tamen quæstio, quinam sint limites, quos transgredi nefas, quæve sint negotia, de quibus Doctores Ecclesiæ notitiam habere judiciumque suum ferre prohibitum sit? hactenus nondum satis evoluta, multo minus decisa est. Possunt enim eædem res, actiones & negotia hominum in Oeconomicis, Civilibus, Matrimonia-

quiesceret: de rebus Theologicis, inprimis vero de certamine Ecclesiarum Germanicarum & Gallicarum disserere incepit &c.

Quod testimonium eo magis notamus, quod insulsus & immodestus quidam Scriptor Helveticus, qui nihilominus vult videri Irenicus, in seinen Monathlichen Gesprächen mens. Januar. 1720., tractans quæstionem de Pace inter Protestantes concilianda, omnes, quas potuit, ex *Godofredo Arnoldo*, contra *D. Jac. Andreæ* & Formulam Concordiæ calumnias, convitia, criminationes conquisivit & denuo evomere non erubuit. Legat, quicunque sit Compilator iste, innocentiam Würtembergicam *D. Andr. Dav. Caroli* Part. III. Cap. II. desinatque maledicere, idque eo magis, quod hoc imprimis tempore, quo de tollendis Protestantium dissidiis serio res, uti ajunt, agitur, non oleum, sed aquam igni suffundendam esse, omnes boni existimant.

* Vid. Theologia Casuum conscientiæ *Dn. Andreæ Kesleri* Cap. XXXV. pag. 186. ubi prolixum satis de hoc proverbio: Die Geistliche sollen bey ihrer Bibel &c. judicium legitur. *Eckardus* in Past. Con[illegible]at. Cl. II. Quæst. VIII.

16. a.
22.
21.
20.
30.
31.
32.

libus tam a Politicis, quam Theologis judicari, quanquam diverso modo & fine. De actibus civilibus modoque administrandi rempublicam judicium ferre, Pastoris non est, ait Dign. Dn. *Buddeus**, unde, qui talia agunt, muneris sui transiliunt limites, prudentiæque pariter ac justitiæ leges violant, nisi (additur itaque & hoc) in hisce peccata aperta & manifesta occurrant, quæ redarguere, adhibitis admonitionis gradibus, officii ratio postulat. Unde id, quod JCti nobis objiciunt, non omnem materiam, quæ Theologorum est, Theologis propriam esse, sed ad JCtos quoque pertinere, qui ex alio fine eam, ac illi, tractandam sibi vendicant, sibi quoque dictum putent a Theologis, qui certe falcem in alienam messem non mittunt, quando etiam iis, qui in summa dignitate sunt constituti, officia Patris familias, Magistratus, Conjugis & similia ad normam sacræ Scripturæ proponunt, &, quæ contra fiunt, debito modo reprehendunt.

* Instit. Theol. Mor. p. 688.

§. 14.

Perveniamus nunc ad præcipuas officii partes Doctoris Ecclesiæ respectu aliorum, & videbimus, quid

quid deceat Theologum vere moderatum *in docendo?* In his itaque versatur Theologus hoc nomine dignus, dum omnes veritates divinas pro Auditorum suorum indigentia conscientiæque statu explicando & applicando ad captum eorum sese accommodat, suasque ex Verbo divino explicationes, definitiones, meditationes, Canones non tanquam infallibiles in Ecclesia urget, inque toto suo officio didactico, ne plus ostendatur eruditio, quam studium ædificandi, summopere vitat. Præcipue cum summa sint mysteria, quæ ex Verbo DEI revelato proponi debent, rem ipsam & veritatem omni, qua potest, perspicuitate quidem explicat*, modum vero rei, sive modum mysteriorum

* Sunt qui de modo rerum divinarum quæstiones sæpissime formant, quibus Quomodictis dictum illud *Justini Martyris*: Σαφὴς τῆς ἀπιστίας ἔλεγχος τὸ πῶς περὶ θεῦ ζητεῖν, i. e. manifestum incredulitatis argumentum est, quomodo res habeat, de DEO & rebus divinis quærere.

Neque tamen in favorem eorum, qui forte dolose animo dum modos se præterire crepant, res ipsas destructum eunt, ea dicimus, quod ex sequentibus patet. Addo hoc: Modus omnis a ratione, præter revelationem & instructionem a Spiritu S. traditam, effictus & ad ejus decempedam mensuratus, utpote curiosus in mysteriis supereminentibus & in operibus Dei spiritualibus proscribendus est. Excipe, si per modum ordo in rebus divinis, gradus, incrementa & alia, v. g. Oeconomia & ordo Conversionis exprimatur, tunc sane modus talis, etiamsi hominibus carnalibus displiceat, reticendus non est.

riorum divinorum libentius reticet, quam ut exinde occasio rixarum atque contentionum enascatur. Distinguunt alias inter modos in sacris literis revelatos & non revelatos, substantiales & accidentales, usum aliquem seu proximum seu remotum habentes, vel admodum exiguum, aut nullum. Quas distinctiones omnino rejiciendas esse non existimamus, modo in applicatione recte sese habeant. Aliter enim & moderatiori calamo *Gerhardus* de modo Communicationis idiomatum in Christo cogitata sua proposuit, quæ utroque pollice probavit *Joh. Henr. Heideggerus**, utpote quibus distinctio ut naturarum, ita proprietatum in Christo sic asserta sit, ut eorundem in persona communicatio realis constituatur, & divina idiomata in humanam naturam vel transfusa esse (de quo nemo unquam cogitavit) vel ei sive essentialiter, sive accidentaliter, sive naturaliter inesse, fortiter negatur. Aliter contra *Koenigius* **, qui tredecim modos adducit factæ vel non factæ Communicationis, doctrinamque hanc adeo obscuram reddit, ut sane tædium & nauseam lectori afferat, quam his ipsissimis verbis propterea pungit

* Manuduct. in Viam Concordiæ, p. 91.

** Quod notavit B. D. *Reuchlinus*, in Colleg. ad Theol. Pos. *Königii* Manusc.

pungit & notat Magnificus Dn. D. *Jæger* in Compendio p. 225. not. 2.

Pariter idem *B. Gerhardus* nec minus modeſte de modo præſentiæ corporis Chriſti in S. Cœna differit: *De modo*, ait, *nolumus cum quoquam litigare, cum ſit omni humanæ rationi incognitus.* Neque ſane unquam per manducationem oralem modum iſtius manducationis ſignificare voluerunt noſtrates, ſed ſaltem inſtrumentum oris, quo peragatur, quanquam ſine ſenſu, ſine conſequentibus phyſicis actionibus, ſine commolitione, ſine concoctione, & ſine reliquis phyſicis mutationibus; Siquidem diſtinguendum eſſe inter id, quod immediate ore ſumatur, uti cibus quotidianus, & inter id, quod mediante alio & quidem myſtice & Sacramentaliter ore manducetur. Qua ſane obſervatione multa corruunt, quæ alias in lite fuerunt & magno animorum conatu agitata.

Vid. *Graverus* in Polemica Sacra C. II. p. 112.

Inprimis vid. Celeberr. D. *Pfaffii* Inſtit. Theol. Dogm. & Moral. p. 745. it. 740. Sit itaque corpus Chriſti in Sacra Cœna realiter præſens; Aſt quomodo quæris curioſulus? Reſp. vid. quæ ſequuntur.

§. 15.

Quid & moderatio affectuum, actionis in dicendo,

cendo, vociferationis &c. valeat, quamque necessarit sit, ab aliis, qui præcepta homiletica ex instituto tradiderunt, ostensum est *. Videatur imprimis *B. Dn. D. Hochstetteri* de recta concionandi ratione Commentariolus omnibus commendandus. Hinc supersedemus & hoc unicum ex sententiis *Plutarchi* addimus: Uti Musici levi chordarum tactu demulcent, non gravi pulsu, sic ratio placida citius quam aspera movet populum. Omnino autem legatur celeberrimi *Witsii* Oratio Inaug. Leiden. de Theologo Modesto tota.

§. 16.

Adversatur etiam Moderatio Theologica & vitat

* Conf. Monita Homiletica e commentariis *Franciſci Avenionenſis* de Prophetia collecta, & sub præsidio *D. Pauli Antonii* publice defensa a *M. Schüslero* Anno 1717. ubi præprimis monitum XXVII. de gestibus & pronunciatione denen sogenannten Moden-Predigern / notandum erit: *Tu autem, o fidelis Christi Minister, vide, ne te alliciat fallax & sophistica pulchritudo modi concionandi: modus unus est, ut videlicet simplicissime & sine ulla fictione & adulteratione vocis, quam a DEO accepimus, sic proferamus verbum, ad quod a DEO mittitur, ut omnes, qui assistunt, capiant quæ pronunciamus. Non fingas novos modos, nec quæras sequi hunc vel illum, nec vel in minimo quidem violes naturam tuam, aut vocem, sed pure, sine curiositate sic pronuncia, ut a Domino accepisti: Nullos gestus alios facias, quam eos, quos natura sine ingenio & arte administrat. Attamen orandum tibi est, ut DEVS, qui mittit te, cor, linguam, vocem, gestus & omnia dirigat.*

tat illimitatam de re quacunque judicandi & pronunciandi licentiam. Facile enim est, de actionibus & verbis alterius judicium præcipitanter ferre, & malunt plerumque homines credere & judicare ea, quæ proximum premunt, quam quæ eundem excusant.

§. 17.

Pariter notum est, quid a multis quotidie fiat in censendis libris & scriptis aliorum: Sunt enim, qui vel nullius labores comprobant: nisi quos vel ipsi, vel amici, vel socii invenerunt, hinc semper aliquid habent, quod in aliorum scriptis desiderent, modo integritatem materiæ, ordinem dispositionis, modo elegantiam dictionis, & quid non? Sua, quæ proferunt, tanquam ex tripode dicta, sunt magnifica, quibus ne hiscere ullus audeat. Contra si alius quidam, *verba sunt Dan. Frid. Jani de Doctoribus Umbraticis*, unam tantummodo vocem profert, ea neque cohærens, integra, apta & concinna, multo minus clara & distincta eorum judicio est: quam ob rem talem virum & scriptorem alto supercilio contemnunt, & tanquam umbram tenuem volitare arbitrantur. Sunt rursus alii, qui solummodo ex librorum titulis, auctoris noto vel ignoto nomine, officio, scripti

pti præfatione, ſummariis, indice judicare ſolent, libros vel non totos, vel ſuperficialiter & brevi tempore perluſtrando, illa ſolummodo excerpunt, quæ ſi extra connexionem cum antecedentibus & conſequentibus ſpectantur, ſenſum heterodoxum habere videntur.

§. 18.

In ipſo etiam Religionis negotio inter partes Proteſtantium diſſentientes, ex una æque ac altera parte jam dudum & huc usque ſummo cum mœrore multas paſſim querelas de conſequentiis falſo imputatis*, erroribus affictis &c. obſervare licuit.

* Legantur quæ notavit *D. Hülſemann* ad quæſtionem: Was eines andern eigentliche Gemüths-Meynung heiſſe? Im Calixtiniſchen Gewiſſens-Wurm. Ita autem ille: Mit allem dem bleibet dannoch ungewiß / ob beſagter Schluß auch in *D. Hülſemanns* Gemüth und Gedancken alſo folge? und daß ſeine *D. Hülſemanns* Meynung ſeye / was aus ſeinen Reden / Sätzen und Schrifften in *D. Calixti* Gehirn / oder auch in anderer Leuthe Gedancken folget? *p.* 360. Elegantiſſima pariter verba ſunt *Joh. Heinr. Heideggeri* in manud. ad viam concordiæ: in imputandis conſequentiis judicio, conſcientia, æquitate & charitate maxime opus eſt: Judicio, ne quid temere vel negligenter pro conſequente venditetur, quod tale non eſt. Conſcientia, ne cui ſive homini, ſive Eccleſiæ ejusmodi per conſequentiam dogma affingatur, a quo plane alienus eſt. Æquitate, ne faciamus aliis, quod nobis fieri nollemus. Denique Charitate, ne infirmitates proximi juſto ſeveriori cenſura dam-

licuit, De qua judicandi & affingendi libidine piissimus *Langius* Altdorff. tum temporis Theologus, ita exclamat: *O Judices consequentiarii, male aut saltem parum informati, caute! caute! Nolite judicare, ne judicemini ob judicii vestri temeritatem & ruditatem. Mementote Amicorum Jobi!* in dissert. de appellatione conscientiæ Jobæa, in qua præprimis media an hanc virtutem caute modesteque judicandi de proximo ducentia pag. 31. seq. commendantur. *Nec metuendæ hic querelæ*, liceat Dign. Dn. D. *Foertschii** verbis uti, *aut rigorosiores censuræ, quas apud severiores subinde reperias, veluti, quod Syncretismo via paretur, veritati insidiæ struantur,*

nemus, vel quod imbecillitatis est, malitiæ vel pertinaciæ transcribamus.

Possunt, inquit Celeberr. & modestissimus Theologus Genevensis *Joh. Alph. Turretinus* in oratione de componendis Protestantium dissidiis, consectaria illa eum in finem recte proponi, ut error, unde fluunt, revincatur, & illi, qui ita errant, ad saniorem mentem revocentur: At illa ipsa iis adscribi, qui ea rejiciunt & abominantur, quasi illorum principia essent, utque ipsi exosi præstentur, id est, quod per æquitatis leges non licet.

Moderata de rebus Theologicis Judicia collegit idem Theologus Præstantissimus in Nube Testium &c.

* In oratione de Judicio æquitatis in dissensu circa sacra Anno MDCCV. hab. cum Cathedram Academicam Jenensem primum conscenderet.

16.a.
22.
21.
20.
30.
31.
32.

& *orthodoxis pericula, occulta denique errorum propagatio intendatur; quod utique tum maxime fieri largimur, si quis gravia fidei dogmata & salutis fundamenta extenuare, inque problematum censum referre ausus fuerit: Supereſt enim inter iſta Syncretiſmi præcipitia* via, *licet valde* angusta, *qua ſtudium concordiæ & unionis pie foveri queat & absque culpa commendari.* Innuit certe iſta Paulus commendatione ἐπιεικείας in loco ſupra adducto: Δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον εἶναι ἐπιεικῆ; Æquitas ſcil. hæc eſt, quæ circa obſcura atque intellectu difficilia judicium cohibet, ne irrumpatur in ea, quæ non vidimus, Col. II. 18. omnia rerum momenta accurate ponderat, præcipue, rigorem in cenſendis erroribus & vitiis aliorum in juſtos terminos reducit, ne vel errori veritatis ſpecies concilietur, nec erranti vel delinquenti pernicioſa ſecuritas promittatur, nec denique moroſi affectus æſtu errans, diſſentiens, delinquens injuria gravetur.

§. 19.

Quæris, Anne igitur omnis zelus plane abeſſe ab homine Theologo debet, tam in corrigendis hominum moribus, quam refutandis adverſariorum erroribus defendendisque Eccleſiæ Chriſti pre-

sti pretiosissimis veritatibus? Plane non. Absque zelo vera religio conservari & propagari nequit, neque languidos poscit Ecclesiæ Ministros, qualis olim fuit Episcopus Laodicensis Apoc. III.

Est (*autem*) modus in rebus, sunt certi denique fines.

Sane ulcera peccatorum non sunt tangenda molliuscule, neque tacendum, sive ab officio epanorthotico abstinendum, eo quod delicatæ seculi hujus aures severitatem & virtutem correctionis sæpissime ferre nequeant. Neque etiam Magnatum axillis, (*malo rem alienis verbis efferre*) pulvinos supponere, iisque in peccatis adblandiri decet. Ut vero modeste hæc omnia fiant, ut Concionator increpationes asperiores lenioribus dictis, severitatemque charitate ac lenitate temperet, ut nec boni inde offendantur, nec mali obstinatiores fiant, summopere studendum. Quid quoad officium hoc publice privatimve fieri debeat, a Theologis ipsis non uno modo, eademque ratione definitur. Dn. D. *Langius* * æternam veritatis regulam pastoralem nominat, quæ legitur 1. Tim. V. 20. 21. ubi addit, publicis scandalis non primum opponendas esse admonitiones privatas, antequam publice coram omnibus corripiatur peccator, quod repu-

 gnare

* In disp. supra cit. de funesto Eli Sacerd. Ministerio.

gnare dicit, non saltem expresso *Pauli* præcepto, sed etiam fini officii Epanorthotici, qui sit, non modo consulere animæ peccantis, sed præcipue, ut satisfiat Ecclesiæ læsæ, & ut offendiculum publicum publice destruatur, neque huc pertinere ait loc. Matth. XVIII. 15. seq. Celeberrimus *Fabricius* * notoria Magistratus vitia publice taxanda esse concedit, hac tamen cum moderatione, *ut id modeste fiat & sine clamoribus tribunitiis, ne subditi ad seditionem excitentur, & reverentia atque obsequio debito quid decedat, siquidem pii ac prudentes Ministri debeant esse præcones conversionis, non tubæ seditionis.* Privatam solummodo correctionem circa vitia Magistratus fieri vult *Joh. Frid. Boeckelmannus* in Disp. Inaug. Gradus admonitionis, antequam pro concione delinquentes publice perstringantur, esse adhibendos, & ad publicam reprehensionem, præprimis contra certam personam speciatim dirigendam, non nisi ex gravissimis causis accedendum esse, monet Digniss. D. *Buddeus.*

Vid. & legatur sedulo Disp. Inaug. pro Licentia *Joh. Ludov. Hartmanni* Superint. Rotenburgo-Tuber. Tubingæ Anno 1670. habita de Elencho morali.

§. 20. Ad

* In Amœnitatibus Theologicis p. 147. de prudentia Eccles.

§. 20.

Ad defendendam veritatem contra dissentientes, eorumque errores refutandos quod attinet, non minus circumspectione, prudentia & moderatione summa opus est. Veritas certe cœlestis nimis pretiosa est, neque libidini cujusvis ad depravationem & corruptionem relinquenda. *Qui veritatem non defendit, cum possit, censetur prodidisse:* ita rectissime judicat *Crocius* D. & P. Cassellanus. Hoc tamen velim observari: Pastor & Minister Ecclesiæ non facile ad errores hæreticorum, schismaticorum & dissentientium recensendos & refellendos accedat, cum indigentia auditorum & conscientiæ status practica & ascetica magis, quam polemica poscat, & sane tempus, in moribus auditorum corrigendis & reprehendendis rectius, quam erroribus aliorum, qui extra Ecclesiam sunt, refellendis collocari queat. Unde ii, qui summam zeli in oppositarum sectarum condemnatione constituunt, adversarios quandoque fingunt, veteres etiam hæreticos nominant & refutant, de quibus nihil scit populus, neque scire opus habet, eam, quam quærunt, laudem non merentur.

§. 21. In-

§. 21.

Interea, si quid vi officii Pastoralis Elenchtici e suggestu publice dicendum sit, præprimis imminente aliquo ab adversariis eorumque erroribus periculo, fiat id, vi vocis ἔλεγχος, per demonstrationem & convictionem, per rationes solidas, quod & ἐπιτιμίζειν ab Apostolo dicitur, ut veritatis & pietatis amor, non vero cavillandi * & injurandi studium exinde appareat, neque populus ad contumelias

* Conf. Loc. supra cit. 1. Tim. III. ubi dicitur, quod Episcopus debeat esse μὴ πλήκτης, quam vocem *Gerhardus* aliique de percussione corporis explicant. *Chrysostomus* vero & *Hieronymus* ad linguæ verbera & convitia, vel linguæ acerbitatem referunt. Quid de dissentientibus adversariis leniter & humaniter habitis sperandum sit? elegantissime expressit Autor Anonymus in Medit. ad Instrum. Pacis Cæsareo-Suecicum Specim. IV. p. 619. seq. ita autem scribit: Errantes humaniter habiti, longe facilius se nobis accommodarent, quam si omnium verborum verberumque asperitates adhibueris: Ita enim naturaliter cum nobis in omni credendorum genere comparatum est, tu vi nihil proficias, obsequio autem aliquo & lenitate mentes hominum se flecti & lucrefieri patiantur. Fac quæso periculum, & impera illis, qui corruptum adhuc palatum habent, ut mel, quod illis amarum videtur, dulce credant tui gratia: Quem fructum reportabis hujus propositi? nullum profecto, nisi, ut vi coacti, dicant forte aliud, & aliud sentiant. At corrige prius debitis remediis palati vitium, & tunc jube, ut gustent, assentientur sponte sua tibique insuper gra-

melias & odia concitetur, ut discant, alios, qui ex suo cœtu non sunt, irridere & insanis disputationibus ad mutua convitia stimulare.

§. 22.

Ad Quæstionem: An Magistratus Politicus Elenchum Nominalem contra dissentientes adversarios prohibere queat? vel, si talis prohibitio auctoritate Magistratus promulgetur, an Ministri Ecclesiæ salva & illæsa conscientia illi obedire possint? negative multi Theologorum veteranorum olim responderunt, quod apud *Gerhar-*

tias agent, quod opera tua ab hac palati depravatione liberati sint. Quanto igitur magis in rebus divinis docendi sunt & instituendi animi erroribus imbuti, antequam desiderare possumus, ut eadem nobiscum credant? Conf. Celeberr. *Böhmerus* Jur. Eccles. lib. I. tit. I. p. 73. 74. ubi de Doctorum Academicorum nimia in controversiis discutiendis audacia mentionem facit eamque inhibendam esse affirmat, ne judices agant, & sententias ferant decisivas, seque Ecclesiam repræsentivam esse Auditoribus suis temere persuadeant. Conf. quoque *Chr. Thomasii* Cautelæ circa studium Theologicum, præprimis pag. 332. 333. de quæstione, An Doctoribus & Professoribus Theologis competat decisio in controversiis Theologicis? & Disput. *Carpzovii* Theologi Lipsiens. de jure decidendi controversias Theologicas cum scholiis JCti Hallensis. Item Disp. Inaug. ejusdem tituli *Joh. Guil. Jani* Doct. & Prof. Wittenbergensis Anno 1719.

16. a.
22.
21.
20.
16.
30.
31.
32.

dum in L. de Min. Eccleſ. aliosque videre licet. Conf *Dunte* Caſ. Conſc. Quæſt. XXIV. *Eckardi* Paſtorem Conſcientioſum Quæſt. VIII. Claſſis IIdæ. *Bidenbach.* Conſ. Decad. VII. addit limitationes non contemnendas. D. *Andreas Kuhn*, Superint. Epiſcopolit. in diſquiſitione de puncto & momento diſcrepantiæ inter Luth. & Reform. quod in gratiam Magiſtratus orthodoxi omitti poſſit Elenchus nominalis, docet, uti & apud *Dedekenn.* in Conſ. Stuttgardiani olim cenſuerunt. *B. Spenerus* P. III. C. VI. Conſil. Germ. diſtinctione utitur, & quid vel in Eccleſia libera, vel preſſa fieri poſſit & debeat? curatius oſtendit. Uti pariter Dign. *D. Buddeus* diſpiciendum eſſe monet, quid Eccleſiæ ſtatus temporisque præſentis conditio poſtulet aut permittat? itemque quo animo, quove conſilio, & qua intentione aliquid aut fiat, aut intermittatur? Inſtit. Th. Mor. de Prudentia Eccl. pag. 684. *

§. 23. Per-

* Hoc ſane certum eſt, ſi ſecta aliqua imperioſa ſpiritum Antichriſti & faſtum aperte prodens pro imperio exigat, ut ne nomine quidem appelletur, tum non id ſubeundum eſſe, cum ſpiritui Chriſto contrario iſta ratione frementi cedatur. At extra hanc violentiam ex. gr. in cœtu promiſcuo diverſarum Religionum, ſi, ad animos ſopiendos, mollendos, alliciendos, ſine tyrannide unius cœtus in alterum, vel etiam ad exacerbationem amarulentam declinandam, a Magiſtratu tale

§. 23.

Personalia tractare, sive peccantem nominatim perstringere, & suis coloribus ita depingere, ut quilibet digito monstrare & dicere possit: Hic est, noxium esse & siniſtrum corrigendi modum, omnino fatendum est; Interea cum multi, quos in specie vellicare animus non fuit, ex concionibus legalibus in genere prolatis, aculeos conscientiæ sentientes de se omnia dicta esse putent,

Conscius (*enim*) ipse sibi de se putat omnia dici.

& proinde importunis allatrationibus & querelis Ministro molesti sint, ita sane de efficacia Verbi, qua de suis peccatis convicti, deque officio Spiritus S. elenchtico, quod ægre ferre nemo salutis suæ cupidus debet, informentur, ipsisque vera & sera pœnitentia suadeatur, sicque in posterum legis fulmen, quotiescunque illud in transgressores in genere omnes vibratur, ipsos amplius non sensuros esse, dicendum erit.

consilium de mitius tractandis sectis, nec nomine acerbe exagitandis capiatur, & lege quoque promulgetur, amor & studium convulsa & evulsa membra redintegrandi suadet, ut mos, non tantum ob homines, sed potius ob Spiritum amoris & Christi geratur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0045
DFG

In quantum Minister Ecclesiæ in officio Elenchtico excedens conveniri possit ex l. diffamari? docet celeberr. *Boehmerus* Jur. Eccl. Lib. II. tit. II. §. LIII. Singularis autem ibidem casus existit, de quo dubium esse non potest, ut proinde Thesis ista ad qualemcunque in Elencho Nominali excessum extendi & applicari nequeat.

§. 24.

Cum & quandoque eveniat, ut ejusdem loci Ministri Collegæ vel circa quæstiones quasdam noviter exortas dissentiant, vel aliter inusitatis phraseologiis & formulis loquendi utatur, vel quandoque innocenti inter concionandum aliquid excidat, quod cum regula & forma fidei conciliari statim nequeat, maligni sane animi character est, Collegam e suggestu publice aggredi, refutare, ipsumque heterodoxias suspectum reddere. Quod, quantum Ecclesiæ damnum afferat, contemtumque Ministerii & Ministrorum pariat, & ad securitatem, Scepticismum, Atheismum plures auditorum deducat, tristis experientia jam dudum docuit.

§. 25.

Ex hactenus dictis sponte sua fluit, Theologum

logum Moderatum omnino alienum esse a contentionibus & rixis, quod ab Apostolo loco cit. innuitur, quando dicit, quod Episcopus debeat esse ἄμαχος, quam vocem *Lutherus* vertit **nicht haderhafftig.** Theologus itaque hoc nomine dignus non movet lites, ubi nullæ sunt, neque amat quæstiones inanes, stultas & indisciplinatas, quæ generant pugnas. 2. Tim. II. 23. Sicuti enim superna sapientia primo est casta, deinde pacifica, æquanima, morigera, plena misericordiæ & fructuum bonorum, sine disceptatione & hypocrisi, ita contrariæ sapientiæ, quæ ex mundo est, & carnalis dicitur, primus apparatus est rixa, neque sola, sed ea, per quam reliqua vitia omnia, quorum *Paulus* in sequentibus verbis mentionem facit, operosa ad destructionem charitatis, fidei corruptelam, Ecclesiæ ruinam, dissidia, & denique persecutiones. Vid. *Joh. Cocceii* Orationem Exegeticam in 2. Tim. II. a v. 23. usque ad finem capitis III. O utinam nunquam tot inter doctos lites natæ essent, in quibus evolvendis decidendisque misere desudant & doctores & discipuli, & ex quibus Theologia in artem plane difficilem conversa est. Removeantur itaque omnia, quæ ad ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν

non pertinent. *Quicquid enim*, ait *Gerhardus*, *nec ad veritatem scitu necessariam, nec ad pietatem pertinet, pro axiomate Theologico vel quæstione Theologica haberi non debet.* Ea equidem, quæ ad fidem, conscientiam & salutem æternam pertinent, nunquam extenuanda, multo minus negligenda, vel pro rebus levioris momenti & meris vocabulorum disceptationibus habenda sunt, sed quod rei gravitas postulat, dicendum est, & scribendum: Ast & hoc certum est, multa superasse in Theologia nostra problemata, argutias Scholasticas, minutas quæstiones, quæ vel non sunt magni momenti, vel primaria quadam quæstione resecta per se corrunt. Quid juvat deinde contentio de inanibus, cum qua plerumque conjuncta est de maximis securitas? Quid est, si hoc non est, fumos ventilare & negligere minaces turbines. Unde profecto, etiamsi removeantur plurima, satis tamen erit materiarum, circa quas ii, qui bella amant, judicii acumen, suam docentes operam, & discentes industriam exercere possunt; siquidem non id volumus, quod *Bodinus* olim suasit Magistratui, ut leges in Republica ferret de abrogandis disputationibus circa Religionem. Possunt enim Magistratus

ſtratus prudenter diſpicere, expenſis locorum & temporum circumſtantiis, quando, quales, & a quibus diſputationes de Religione inſtituti ſit conſultum? atque ita modum quendam immoderatis & non neceſſariis diſputationibus imponere; ſed ut promiſcue omnibus interdicat, ei non ſuadendum.

Vid. Exercit. Theol. *Chriſtophori Wittichii* de veritatibus & erroribus fundamentalibus. Q. IX. An ſalutare remedium ſit per conſtitutionem Magiſtratus omnia ſcripta eriſtica tolli?

Conf. *Seckendorffii* Chriſten-Staat. Addit. III. X. 3.

Ex quibus patet, Theologum non ſaltem a pugnis inutilibus & immoderatis eſſe alienum, ſed & Pacificum, qui non ipſe ſolum pacatus & quietus ſit, ſed & inter alios diſſenſiones tollere ac componere, & in ſpecie, quantum in ipſo eſt, Pacem Eccleſiaſticam inter Proteſtantes conciliare ſtudeat. Difficillimam quidem rem aggreditur Theologus εἰρηνοποιὸς, ut ſcil. Pacis non ſolum, ſed & VERITATIS, quæ certe ſancte cuſtodienda, habeatur ratio; ut error fundamentalis a non fundamentali, an trabis vel feſtucæ rationem habeat? probe diſcernatur, ne quis uno ictu totum

& tam-

& tamdiu continuatum dissensum tolli, omnesque nodos gladio Alexandrino solvi posse sibi persuadeat, nec tamen negligat, quæ pro ratione temporis, officii, conscientiæ, locorum & personarum tentare æquum est & pium; porro ne corruptissimo hoc rerum statu, ubi potissima pars nominum in cœtu Lutherano & Reformato non nisi de nomine, externaque Christianismi professione gloriari potest, major rerum confusio, & loco desideratæ omnibusque & quidem ardentissimis precibus expetendæ Pacis, nil nisi unionis somnium appareat, & ex uno schismate aliud vel plura propullulent.

Difficilia itaque sunt Pacis Ecclesiasticæ conciliandæ studia, calumniis multisque aliis periculis obnoxia, quod Viri non pauci, eruditione, pietatis & moderationis laude non frustrandi, magno cum honoris dispendio experti sunt. Non tamen idcirco omnis spes abjicienda erit, eo quod labores hactenus suscepti successum & eventum felicem non habuerunt; ita enim, cum ferre omnis labor Ministrorum Ecclesiæ, si ex specie externa judicandum sit, frustraneus sit, vel frustra susceptus esse videatur, ab omnibus officii partibus plane abstinendum, aliudque vitæ genus nobis

nobis eligendum esset: Noverit DEUS optime, quid Ecclesiæ suæ conducibile sit & salutare? &, ut id obtineatur, tempore suo ipse solus faciet, omniaque consilia sancta, recta & moderata ad maturitatem finemque exoptatum perducet. Nos, qui sacris operamur, agimus interea, quod nostrum est *, & DEVS aget quod suum est, cui suæ, non humanæ viæ placent, quique forsitan utramque litigantium & dissidentium partem in ignem conjiciet, purum ab impuro separando, aurum & argentum a scoriis purgabit, & quod optimum, conflabit. Et sic, quod optandum quam maxime est, atque in omne ævum duraturum, ex Unione invisibili animorum, per Spiritus S. gratiam vere regenitorum & fidelium, oriri quoque poterit Unio, si DEO placet, Ecclesiastica & visibilis externa. Tu interea, summe DEUS, da quoque Pacem in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi TU DEUS NOSTER! AMEN.

* Lubet adducere verba *Erasmi*: quæ habet in epistola ad Saxoniæ Ducem *Georgium* Epist. Lib. XXI. Quod supereſt, pura conscientia venor occasionem, si queam aliquid adferre momenti ad sanciendam publicam concordiam; &, si non licet præstare, quod optimum est, certe, quod optimum est, non desinimus assiduis a Christo votis flagitare.

DECANUS ET COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ IN UNIVERSITATE TUBINGENSI

L. S.

ESt ea hominum male consultorum & eorum quoque, qui, ubi pietatis studium ad summum perducere apicem conantur, frondium luxuriam cum radice arboris subinde exscindunt, perversa indoles, ut gradus omnes academicos, imo & Doctoris in Theologia gradum vel pædantismi academici vel Antichristianismi vel saltem vanitatis ad criteria referant nasoque adunco suspendant. Et vero facile, ut arbitramur, videt, qui sapit, perperam heic calculum ponere saniorisque judicii septa plurimum migrare, qui ita ratiocinantur. Ut enim teceamus, eum, qui Doctor Theologiæ renunciatur, publico saltem testimonio donari, quod ea ingenii, eloquentiæ, eruditionis virtutisque spiritualis & charismatum sanctiorum copia polleat, ut non solum prima Christianismi fundamenta docere Ecclesiæque præesse, sed & præcipuam quandam ad defensionem doctrinæ Christianæ fideique sanctioris propagationem operam conferre possit, insigne quid plane illud est longeque præstantissimum, quod, quicunque Doctores Theologi sunt, non saltem ab Ecclesia, cui nomen dedere, facul-

facultatem docendi Theologiam accepere, sed &, quicquid privilegii heic possident, quo facultas Theologiam docendi ipsis competit, non autoritate privatarum Ecclesiarum sed autoritate augustissimi Imperatoris quoque possident. Itaque ergo Doctor Theologiæ, sive ex Romanensibus sive ex Protestantibus iste sit, æquali privilegio, quod ubique cæteris paribus in Imperio valet, pollet. Quod ipsum haud parvam secum utilitatem tum quoque vehere posse, ubi religio autoritasque eam docentium in discrimen quoddam venit, haud facile quis inficiatus fuerit. Non itaque erat, quod adplausum nostrum atque adsensum haud illico adsequeretur Vir maxime Reverendus, Amplissimus atque Dignissimus, Dominus EBERHARDUS FRIDERICUS HIEMERUS, Serenissimi Principis nostri Consiliarius ecclesiasticus & Concionator aulicus plane insignis facundissimusque, ubi a Facultate nostra summos in Theologia honores nuperrime expetiit. Jam vero, ubi hoc heic publice significamus, pro more recepto Viri maxime Reverendi vitæ curriculum sic pandimus. Initium vivendi Is fecit Gechingæ in diœcesi Uracensi anno prioris seculi LXXXII. d. XXIV. Maji. Patre Viro perquam Reverendo doctissimoque, Domino M JO. FRIDERICO HIEMERO, Pastore primum Gechingensi, post Kemnathensi vigilantissimo, matre MARIA JUDITHA KNOLLIA, Viri maxime Reverendi & dignissimi JO. EBERHARDI KNOLLII, Consiliarii Wirtembergici, Præpositi Denkendorffensis, Generalis Superintendentis & Statuum provincialium primi ordinis Assessoris filia. Quæ ipsa dum memoramus, reticere non possumus, summe Reverendum Dominum Canditatum nostrum inter majores quoque suos venerari memoriam Praovi, JO. HENRICI HIEMERI, Theologi præstantissimi, qui S. Theologiæ apud nos Doctor & Professor extraordinarius atque illustris Stipendii Superattendens, postea Abbas Anhusanus exstitit atque A. MDCXXI. defunctus est. Con-

 tigit

tigit autem dignissimo Domino Candidato nostro educatio plane felicissima. Sexto enim anno disciplinæ & informationi Viri maxime reverendi, dignissimi doctissimique, DN. JO. EBERHARDI KNOLLII, Diaconi tum Canstadiensis vigilatiss. nunc Ecclesiæ ejusdem Pastoris & Diœceseos adjectæ Superattendentis plane præstantissimi meritissimique traditus, cum anno insequente Parentem amisisset, Stutgardiæ post Gymnasium frequentavit, donec, Matre Viro Maxime Reverendo dignissimoque DN. GEORGIO CONRADO BRODBEQUIO, Superintendenti tunc Leonbergensi, denique Abbati Murrhardensi juncta, primum quidem Leobergensem, post Nurttingensem scholam adiret, unde A. MDCXCIV. in monasteriū Blabyrense, posteaA. MDCXCVII. in Bebenhusanum adscitus sub Præceptoribus insignibus SCHMIDLINO, SALOMONE, STIERLINO & HOCHSTETTERO plurimum profecit. Quo facto Tubingam promotus A. MDCXCIX. primam & A. MDCC. secundam lauream primus ordine nactus est & Anno MDCCII. in illustri Consistorio examinatus atque A. MDCCIV. in Repetentium ordinem cooptatus fuit. Præceptores in Philologia & Philosophia Academicos habuit CAMERARIUM, HILLERUM, PFAFFIUM, HOCHSTETTERVM, ROSLERUM, KLEMMIUM, atque etiam sub B. HOCHSTETTERI, Philosophiæ Moralis tum Professoris præsidio dissertationem de statu hominis naturali maximo cum adplausu defendit. Theologos audivit MULLERUM, JÆGERUM, FOERTSCHIUM, REUCHLINUM, PFAFFIUM, HOCHSTETTERUM, atque etiam sub præsidio celeberrimi D. Cancellarii nostri JÆGERI dissertationem de Christo Mediatore ex Gal. IV. egregie tuitus est, eaque profecto & eruditionis & pietatis & facundiæ sacræ & ingenii præstantissimi elegantissimique specimina eo jam tempore, cum Repetentis officio fungeretur, edidit, ex quibus facile constare sapientibus poterat,

eum

eum fore illum, quem hodie videmus. A. MDCCVII. Paſtoratui Roſenfeldenſi & A. MDCCXIV. Wildbadenſi Diœceſique eidem Superintendens præfectus atque A. MDCCXVI. a Sereniſſimo Domino Marggravio Baruthino, ad quem, cum thermis ferinis eo tempore verſaretur, verba ſacra per ferias paſſionales & Paſchales fecit, in ordinem Conſiliariorum eccleſiaſticorum cooptatus, cum & Sereniſſimo Principi noſtro tum ob morum theologicorum vitæ præſtantiam, tum ob ſermonum eccleſiaſticorum, quos coram Ipſo frequenter habuit, elegantiam unctionemque, quæ in illis conſpicienda erat, ſpiritualem plurimum ſeſe commendaſſet, A. MDCCXVIII. Concionatoris Aulici ad munus promotus fuit, cui poſtea etiam Conſiliarii Eccleſiaſtici atque Conſiſtorialis officium acceſſit. Quæ ipſa munera nativo ſuo ſplendore micantia cum ſummorum quoque in Theologia honorum acceſſionem expoſcerent, contigit, ut, volente ita SERENISSIMO NUTRITIO NOSTRO, eosdem a Facultate noſtra expeteret & præſtanda, quæ vocant, præſtaret atque ita præſtaret, ut eruditionis, judicii & pieatis facundiæque inſuper theologicæ præſtantiam Facultas noſtra in eodem plurimum exoſculata fuerit digniſſimumque reputaverit, cui mitram Theologicam imponeret calculumque ſuum ampliſſimum heic adjiceret. Quod cum futuro die XIX. Martii futurum ſit, rogamus omnes omnium literatorum ordinum Viros, ut, præſentibus quoque illuſtriſſimis Sereniſſimorum Principum noſtrorum Regnantis & Heredis Legatis, promti ad inaugurationis actum advolent atque ſumme Reverendo Candidato noſtro, præſtantiſſimorum in Eccleſiam meritorum Viro haud gravatim adplaudant. PP. Tubingæ ſub ſigillo Facultatis noſtræ Dominica Judica, A. MDCCXX.

CELEBRABITUR ACTUS HIC

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO,

DOMINO

JO. RUDOLPHO OSIANDRO,

S. Theol. Prof. Ordin. Illustris Stipendii Theol. Superattendente & Templi Cathedr. Concionatore facundissimo,

CANCELLARIO DIGNISSIMO,

DOMINO

JO. WOLFGANGO JÆGERO,

S. Th. Doct. & Prof. Primario longe celeberrimo, Ecclesiæ Tubing. Præposito & Abbate Adelbergensi atque Generali Superintendente gravissimo.

DECANO

FACULTATIS THEOLOGICÆ

ET

PROMOTORE

CHRISTOPHORO MATTHÆO PFAFFIO,

S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord. Eccles. Tubing. Decano & Ill. Stipendii Th. Superattendente.

ORATIO

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0056
DFG

16. b.

ORATIO
de
SIGNIS PRÆSENTIUM TEMPORUM SPIRITUALIBUS
ET DE
FELICI AN INFELICI ECCLESIÆ NOSTRO HOC ÆVO STATU,

recitata Tubingæ d. XIX. Martii A. MDCCXX.

a

CHRISTOPHORO MATTHÆO PFAFFIO,
S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin. Ecclesiæ Decano & Ill. Stip. Superattendente,

cum

Virum dignissimum

EBERHARDUM FRIDERICUM HIEMERUM,
Sereniſſimi Wirtembergiæ Ducis Consiliarium ecclesiasticum & Concionatorem aulicum
THEOLOGIÆ DOCTOREM
solenni ritu crearet.

SERE-

SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DOMINI
EBERHARDI LUDOVICI,
Ducis Würtembergiæ ac Tecciæ, Comitis Montispeligardi, Dynastæ Heydenheimii, Domini ac Nutritii nostri Clementissimi,

SERENISSIMI PORRO PRINCIPIS
AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI LUDOVICI,
Ducis Würtembergiæ ac Tecciæ, Comitis Montispeligardi, Dynastæ Heydenheimii,
Domini Item ac Principis nostri Clementissimi

Splendidissime Domine LEGATE
VIR PERILLUSTRIS AC GRATIOSISSIME
DOMINE
CHRISTOPHORE PETRE
de FORSTNER,
Sereniſſimi Principis nostri Consiliarie Intime,
Illustris Collegii Ephore Vices gerens, Supremi Dicasterii Wirtembergici Vice Præses & Brackenheimensis Satrapa,
DOMINE GRATIOSE,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0058
DFG

Almæ hujus Eberhardinæ Patres Conscripti,
Magnifice Domine RECTOR,
Illustrissimi Domini COMITES,
Domini Gratiosi,
VIRI
Summe Reverendi, Consultissimi, Experientissimi,
Excellentissimi, Nobilissimi, Clarissimi,
Vosque reliqui Auditores decentibus omnes titulis compellandi.

EA est scientiæ sanctioris, quæ viam nobis ad cœlestia regna futuramque beatitudinem pandit, præstantia, ea dignitas, ea excellentia, ut suo quodam nativo splendore virtuteque sibi insita in sui amorem æstimiumque omnes rapiat. Etenim, cum omnia, quæcunque ad præsens seculum pertinent, fluxa sint & fumi ad instar pereant, cum ipsum hoc, quod agimus, ævum sub manibus nostris diffluat, comœdiæque ad instar, quod gravi stylo Apostolus monet, evanescat, futura vero bona æterna sint & longe præstantissima solaque animum nostrum, qui æternitati natus est, satient, facile patet, nihil præstantius, nihil dignius, nihil excellentius ea doctrina adinveniri excogitarive posse, quæ portam cœlorum, quæ futuræ felicitatis nanciscendæ rationem nobis adaperit & effert. Et vero heic si verum fateri velimus, qui eruditioni quoque Theologicæ operam damus, omnia tam plana, tam facilia sedulis, cordatis & piis rerum scrutatoribus sunt, ut, qui lumine divino saltem pollet, licet animum alta eruditione tinctum haud habeat, ad præstan-

tissimum nihilominus scientiæ hujus apicem pervenire possit. Scilicet cum vera Theologia nihil aliud sit quam Christianismi practici experimentalis scientia, qua animus a vitiis hujus mundi per fidem in Christum lumenque divinum, quod Spiritus S. nobis infundit, purgatur & cum Deo unitur inque communionem & possessionem summi boni sic descendit, non est, quod existimemus, magno heic eruditionis mundanæ apparatu ad tantam rem opus esse. Id unicum agendum, hæc unica opera insumenda dandaque venit, ut, qui Christianorū nomen affectamus, ubi divinus iste Spiritus, quem Christus Salvator nobis promeruit, per verbum corda nostra tangit, alacres illico obsequamur tantoque monitori pareamus, ut in exilium missis præjudiciis quibuscunque carnalibus, quæ vitiorum amor, hoc est, peccatum originale nobis infundit, nosmet ipsos, voluptatem omnem, cui alias inhiamus, superbiam nostram, avaritiam nostram & quævis prava desideria hinc manantia ex toto corde abnegemus pedibusque conculcemus, ut calamitates hujus mundi omni, qua possumus, patientia feramus, ut Christi, Salvatoris præstantissimi, vestigia virtutesque divino ubique splendore micantes imitemur, ut denique sollicite recogitantes, præsentem vitam saltem peregrinationem quandam esse, ubi firmam nobis sedem figere haud liceat, futuram vero illam, ad quam adspiremus, patriæ loco expetendam quærendamque esse, magna animi fortitudine repetitisque sine intermissione de prava carne nostra, de pravis desideriis nostris, de mundo, de Satana triumphis ad futura gaudia mortemque beatam alacriter contendamus. Hanc qui scientiam novit, O mei, quicunque hoc divino lumine floret, quicunque viam tam amœnam, tam egregiam tamque beatam ingreditur & eandem aliis quoque ita, uti par est, hoc est, eloquentia quadam spirituali & certitudine rerum summa hoc est fide præditus atque ardore divino mactus prædicat, hunc ego Theologum præstantem egregiumque existimaverim, ab omnibus, qui sapiunt, non satis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0060
DFG

tis devenerandum exoſculandumque. O vero quam beata quæſumus foret hæc Eccleſiæ facies, ſi doctrina iſta Chriſtianiſmi practici experimentali omnia pulpita reſonarent, ſi vita doctorum, ſi vita auditorum tanta myſteria tantamque animi ad meliora converſionem eloqueretur, ſi divinus ardor, ſi divina lux animos doctorum allamberet, ſi bono melioris vitæ & ſanctioris converſionis odore omnes Eccleſiæ perfunderentur, ſi bonum fidei certamen certare Chriſtianos atque ad brabæum cœleſte per viam abnegationis præſtantiſſimæ, fidei ſinceræ & certæ ſanctimoniæque continuæ & minus interruptæ contendere conſpiceremus. At vero ubi ſcandalis Eccleſiæ ſcatent, ubi Chriſtianiſmus in meras cærimonias externumque ſaltem cultum, quo palpum Deo, qui in cute peccato ſervimus, obtrudere volumus, vertitur, ubi virtutum Chriſtianarum ſanctiſſimæque converſationis loco vitia graſſantia utramque paginam faciunt, ubi acedia quædam ſpiritualis omnium fere animos occupat, ubi tota gens Chriſtiana in ſchiſmata & ſectas diſtinguitur atque odio ſectario tota ubique ſe obvolvit & in lites de religione abit, ubi denique religio magis in verbis & opinionibus quam in re & converſione animorum ponitur, ibi ſane miſerrima Eccleſiæ ut emergat facies, non contingere non poteſt. Et ſane convenit, *Auditores optimi*, ut, quicunque in exulceratis hiſce temporibus ſaluti noſtræ conſulere volumus, ſigna temporum noſtrorum & ætatis, quam vivimus, recte noſcamus & ad futura mala ea, qua par eſt, animi fortitudine nos præparemus. Non itaque a rectiore ſcopo aberrabimus, ſed id potius, quod ædificationem haud vulgarem ſecum vehere poteſt, agemus, ſi in rerum præſentia de ſignis noſtrorum temporum ſpiritualibus & de felici an infelici Eccleſiæ noſtro hoc ævo ſtatu ea, quæ neceſſaria & utilia eſſe videbuntur, ad vos differamus. Non vero eſt, quod miremini, *Auditores*, me argumentum, quod eruditionis & eloquentiæ floſculis tingi phalerisque dictionis ornari neſcit, heic tractare. Theologi enim

aures suavibus sonis demulcere non est, sed ea dare, quæ ædificent homines eosque meliores reddant. Et tam breve est, quod agimus, ævi, ut, quæcunque exstant, temporis momenta, quantum pote, ad animos nostros præstantissima virtute divinaque luce imbuendos adplicari debeant. Agite itaque, *Auditores*, & promtos nobis animos promtasque mentes adspergite Deumque supplices rogate, ut sua luce nos jam circumfundere suavissimisque Spiritus sanctioris impulsibus atque adspiratu mentes nostras beare dignetur.

De felici an infelici Christianismi nostro hoc ævo statu locuturis veritas quædam præstantissima ante omnia delibanda est, qua dudum diximus atque in institutionibus nostris theologicis intimavimus, eo excellentiorem, eo feliciorem Ecclesiæ statum esse, quo præstantior in ea est veræ pietatis veræque virtutis in eadem regnantis omnesque ejus venas pervadentis flos, quo fit, ut, qui in ejus communione vivunt, ubi viam veræ conversionis sanctificationisque calcaverint, ad vitam æternam certo perducantur. Nec est, quod jam cogitemus, *Auditores*, a communi docendi ratione hæc, quæ heic dicimus, abludere. Etsi enim veræ Ecclesiæ notæ sint recta verbi prædicatio & sacramentorum recta administratio, id quod communiter dicitur, hæc ipsa tamen, si omnia in unum compingere & quod præstantissimum est, haud negligere velimus, nondum sufficiunt, cum orthodoxia cultusque divini ratio sana & apud impios locum habere possit, queis præstantissima fidei confessio cærimoniæque ecclesiasticæ ad nutum verbi sanctioris prorsus compositæ esse possunt. Itaque ergo, qui sapit, facile jam perspicit atque comprehendit, amplius quid heic requiri, atque id ipsum requiri, quod jam diximus, nempe Christianismi veri practicique florem præstantissimum, quo solo Ecclesia beatur & sanctificatur statusque ejus felix evadit, felicior idem vel minus felicior, prout flos hic in ea major vel minor est. Quæ ipsa etsi satis clara esse magnumque aliquid & novum secum com-

pre-

prehendere haud videantur, ita tamen, uti arbitror, comparata sunt, ut a paucis observentur atque in judicio communi de Ecclesiis ferendo fere vix attendantur. Agedum, cum res evolutu necessaria & digna sit, quisnam sit Christianismi illius practici flos, brevi dictione paulisper delibemus. Et vero ante omnia heic præcedere debet viamque ad praxin illam, quam tantopere commendamus, parare orthodoxia fidei, quæ veræ pietatis, quæ virtutis veræ & masculæ mater est tamque egregios fructus sola producit. Jejunum est & insulsum oppido, quod faciunt homines nasutuli atque increduli, orthodoxiam carpentes, quæ alio verbo nihil aliud quam veritas divina est. Quis vero veritatem divinam, quis fidei veræ principia haud exosculetur dimidiæque animæ suæ loco haud habeat nobilissimam illam articulorum doctrinæ Christianæ catenam, quæ in sacris literis clare satis perspicueque effertur. Et sane dudum eam in sententiam nos descendimus, ut dixerimus, veram pietatem sine orthodoxia esse non posse, certe, eo perversis principiis & superstitione illam nunquam manare. Id unicum notandum, orthodoxiam veram a putatitia recte distinguendam separandamque esse, ne nubem pro Junone, ne orthodoxiæ spectrum pro orthodoxia ipsa adprehendamus. Scilicet ita subinde comparata sunt hominum ingenia, ut perversos ingenii sui fœtus, ut altas & subtiles de rebus divinis sententias, ut præjudicia, quæ cum lacte materno imbiberunt, ut communes de rebus sacris conceptus, eo ipso quia communes sunt, pro orthodoxia venditent. Mihi vero in longe majori pretio orthodoxia est, quam ut de ea tam jejune & abjecte sentiam. Certe enim orthodoxia illa, quam exosculari nostramque facere debemus, paucis in articulis consistit in scripturis sanctioribus clarissime evidentissimeque revelatis & cum magna fidei simplicitate, cum magna humilitate, modestia & sinceritate ejus, qui ea gaudet, & vel maxime cum lumine divino conjuncta est. Nemo qui orthodoxus mihi est, altum sapit, jenuniſque ex quæ-

ſtionibus, ſcholaſticis illis & quæ vel tandem ad lites de vocibus abeunt, litem fundamentalem efficit vel ea, quæ in ſacris literis definita haud ſunt, deciſione philoſophica determinat eoſque, qui eandem viam ſecum ingredi nolunt, damnat. Et ſane præſtantiſſimum hoc eſt orthodoxiæ criterium, ubi ea non mentem ſaltem hominis ſed & ipſius voluntatem atque converſationem emendat atque ſanctificat. Jam autem, ſi haſce de orthodoxia ideas noſtras faciamus, facile nobis erit, noſtram de moderno Eccleſiarum fere quarumvis ſtatu ſententiam promere. Profecto enim, ſi heic diverſos illos Chriſtianorum in diverſas ſectas abeuntium cætus adapertis ſpiritus noſtri oculis contemplemur, ſtatim nobis, qui ſapimus, adparebit, plerosque tot jejunis opinionibus falſisque ſententiis involutos eſſe, in quibus & ſalutis ſuæ proram puppimque ſitam eſſe exiſtiment, ut malum hoc ſatis haud deplorari poſſit, quod & puriores cœtus ſubinde miris modis vaſtat, ubi veritates practicas de vera Chriſtianiſmi interioris converſionisque & ſanctificationis indole aliquando jejune ſatis urgeri, alia vero, quæ in altis ſaltem conceptibus nudiſque verbis conſiſtunt, miro zelo inſtillari videmus. Quis enim eſt quæſo eorum, qui ſapiunt, qui neget, Theologos rerumque ſacrarum tractatores reliquos tot evolutionibus rerum divinarum ſcholaſticis jejunisque & ad continuandum externum ſaltem Chriſtianiſmi cærimoniale opus facientibus operam dare, ut præcipuum ſcientiæ theologicæ pondus in illis verſari exiſtiment, practica vero, quæ omnium præſtantiſſima & ſaluti proxima ſunt, ſubinde negligere vel prorſus ignorare? Nec tamen tam deſperata ubique res eſt, ut nulli plane dentur præſtantes doctrina & pietate Viri, qui cladem Joſephi deplorent, &, quantum in ipſis eſt, medelam tanto malo adferre conentur. Et vero fundamentum heic excellentiſſimum præſtantiſſima iſta Eccleſiæ Reformatio dudum poſuit, qua Deus ante hos ducentos annos Eccleſiam beavit. Aſcendendum ſaltem jam eſt, ad altiora ſemper progrediendum, urgendum opus & vigili ocu-

oculo & operosa manu prudentiaque haud vulgari ædificanda porro & ab abusu quovis purganda Ecclesia est. Nec profecto, si nostrum quidem cœtum, in qua purior doctrina floret, considéremus animisque contemplemur, negaverit, qui rerum nostrarum penitiorem notitiam sibi comparaverit, inde ab aliquot lustris haud minimam theoriæ theologicæ, qua gaudemus, mutationem divino nutu apud nos accessisse, ubi veritates theoreticæ cum practicis majori studio a præstantioribus Theologis combinatæ fuere. Imo, si quidem calculum judicii nostri recte posuerimus, si quidem & a Deo tanta sperare nobis, qui hac benedictione indignos nos profitemur, liceat, ea jam tempora vivimus, ubi aliter inflecti Theologia, ubi elegantiam ista adquirere, ubi ex eruditione omnigena novas illa vires, novam præstantiam capere, ubi pro veteri rigore, qui in Academiis nostris & floruit dudum atque adhuc floret, moderatio theologica utramque facere paginam apud præstantiores incipit. Et quis est, qui dubitet, fore, ut sensim sensimque heic animi eorum, qui sacris operantur, nova luce imbuantur eademque etiam Ecclesiam ipsam deinde collustrent atque ædificent? Forti saltem & generosa heic mente, quæ autoritatis humanæ, quæ scholasticæ Theologicæ, quæ ecclesiasticæ tyrannidis spectra haud metuat & ea, qua par est, sapientia veritatem divinam heic tradat atque simplicitate conceptuum diluat, opus est. Ubi quidem, qui Protestantes sumus, summo hoc beneficio, quo divina nos bonitas dignatur, gaudemus, quod libertate conscientiæ floremus, atque, ubi veritas in oculos nostros labitur, publice eam profiteri atque voce ad cœlum extollere audemus. At vero, qui Romanæ Ecclesiæ adhærent, in pectore eam premere atque silentio obvolvere, imo contra eandem facere cultumque suum dirigere coguntur. Sec nec id quidem præcipuum illud est, quo Ecclesia fulgere debet, orthodoxiæ quippe, quam sic depictam atque commendatam dedimus, flos præstantissimus. Accedere enim profecto debet & cultus ejusmodi

modi publicus, qui cum verbi divini præscripto ad amussim conveniat. Quod ubi dicimus, ubi & cœtus Christianorum hodie exstantes pervolamus, & cæremonias istas, quæ ubivis locorum agitantur, curate expendimus, videmus utique illico, a prima rerum simplicitate hic plurimum descitum externisque operibus magnam sanctitatis opinionem hoc est superstitionem magnam ubique adfusam fuisse, ita ut vel tandem tota religio in meris cærimoniis ab hominibus inconsultis fuerit posita. Nescio vero, quantopere hic insaniant omnium fere sectarum homines, qui existimant, ad salutem sufficere, si saltem operi Christianismi externo inhient, nec tam morose urgendam esse cordis animique nostri mutationem. Scilicet quicunque ita deliraverint, (ita vero saltem in praxi maxima hominum, qui Christianorum nomen gerunt, pars delirat,) is primum inter hæreticos locum me quidem judice suo præcipuo quodam jure occupabit atque in fundamento fidei peccare vel maxime dicendus erit. Jam vero omnibus operibus externis nulla innata inest sanctitas, sed quamcunque sanctitatem illa habent, quæ nempe operanti simul imputari possit, eam ex affusione animi renati & virtute haud vulgari florentis nanciscuntur. Optandumque utique tum ad majorem Ecclesiarum ædificationem, tum etiam ad pacem ecclesiasticam, quam tamen nolunt & detestantur homines belligeri, qui vero filii pacis esse debebant, optandum, inquam, utique hoc esset, ut & cærimoniarum multitudo & superstitio & apparatus quicunque, qui ex ridiculo & ex ineptia quid tenet, tolleretur, & quæcunque stabiliuntur, cærimoniæ, ita inflecterentur, ut ad interiorem Christianismum ædificandum lucem quandam ponduſque insigne conferre possent. Nemoque meliorem heic viam iniverit, qui cærimoniarum ecclesiasticarum præstantissimam instituere collectionem voluerit, quam, qui liturgias & veteres & recentiores rituſque ecclesiasticos omnium seculorum peragraverit, atque eos dein elegerit atque in usus publicos verterit, qui omnium

16.6.

nium præstantissimi atque ad ædificationem gignendam aptissimi sunt. Ast sufficiat, sufficiat vel tandem ex cultu publico ea eliminasse, quæ superstitiosa, quæ inepta, quæ jejuna sunt. Tota res, uti facile patet, vel tandem ad Christianismi practici florem, in Ecclesia utramque qui paginam facere debet, devolvitur. Et vero heic signa praesentium temporum infelicia infaustumque Ecclesiarum quarum vis statum esse satis patet iis, qui sapiunt. Agedum, agedum, percurramus hic tantisper Ecclesias sententiamque nostram promamus. Et vero, si ab iis Ecclesiis exordiamur, quas Evangelii lux primum collustravit, quantæ quæso heic tenebræ, quanta superstitio, quantum quæso jejunium spirituale & practicum hic regnat? Non est jam, quod memoremus, Ecclesias istas Orientales sub jugo Saracenico ingemiscere. Id enim longe miserius est, quod eædem in jejunio quoque spirituali & practico versantur. Christianismi enim practici tam ignari sunt hi homines, ut, si quidem hanc in rem ipsis quædam proponantur, id fabellæ potius loco habituri quam vel minimo adsensu suo exosculaturi essent. Ad cærimonias quasdam a veteribus traditas & commendatas tota res vel tandem devolvitur. Quisnam in Ecclesia Romana vigeat salutis acquirendæ modus, satis patet. Scilicet & heic, si saltem tantisper sapere velimus, dicendum nobis erit, totam religionem in meras cærimonias operaque externa verti, quæ si perfeceris, beatus fueris. Et ejusmodi quoque opera hæc externa sunt, ejus indolis, ut manifestam secum superstitionem fere omnia vehant, in lege sane divina haud injuncta sed ab hominibus excogitata & in legum inviolabilium classem invecta. Et vero ejus farinæ leges easque inviolabiles condere Ecclesia Romana nulla dubitat, quæ & iisdem Christianismum omnem absolvi perfectioremque etiam reddi existimat. Nec tamen putandum est, ita totam Ecclesiæ Romanæ massam corruptam esse, ut nihil sani, nihil egregii amplius in ea adinveniri possit. Etenim superstitiosissima quoque instituta a piis iisque, qui lumine divino gaudent

& sincero, quo Deum venerantur, pectore florent, ad ædificandum animum excitandumque & corroborandum miro gratiæ luculentioris artificio inflecti possunt. Hinc inter eos, quos severior apud Romanenses disciplina tenet, inveniuntur ii subinde, qui in viis interioribus, mysticis illis, plurimum profecere atque ad insignem sanctificationis apicem, licet theoria dogmatica communi ineptaque adeo utantur, pervenere. Quin & exstitere inter modernos, qui saniora hic principia in media Ecclesia Romana propalare sustinuerunt. *Michaelem Molinosium* innuimus, *Petrum Matthæum Petruccium* & *Franciscum Mothæum Fenelonium*, qui ad vias interiores divinas hominem convertendum deduxere & insignia plane veritatum asceticarum præstantissimarum vestigia nobis reliquere. Ast in herba suffocati fœtus Autoresque ad silentium, revocationem & carceres redacti fuere, ut nihil egregii in Ecclesia heic ab ipsis perfici potuerit. Et vero Jansenistæ quoque in censum heic ut veniant, convenit. Ab iis enim & ipsis Theologia præstantior eaque practica haud male exculta fuit, eminuitque hic inter alios *Paschasius Quesnellus*, qui in reflexionibus Gallicis in Nov. Test. plurima dedit unctionem haud vulgarem Theologiamque experimentalem sapientia. Quantopere autem is Pontifici Romano Clementi XI. vapulaverit, vel ex constitutione Unigenitus patet, in qua præstantissimæ veritates practicæ proscriptæ atque sub pedem missæ fuere. Quo factum, ut magna Ecclesiæ Gallicanæ pars in adversam partem abiret aliamque heic viam fremente atque in diras concitato Romano Præsule calcaret. At vero ex hoc solo patere rerum gnaris potest, quanta Ecclesiæ Romanæ sit corruptio, quæ præter falsas doctrinas, queis fundamentum fidei ordinarie subruitur, præter cultum superstitiosum verboque Dei contrarium & in mentes hominum, quæ cogi utique nesciunt, grassatur atque eas sub jugum ita mittit hactenus, ut contra scita ipsius nemini hiscire liceat. Hinc nulli pronunciare dubitamus, inter omnes, quæ

quæ hodie exstant, sectas Christianas nullam esse, quæ genio Christianismi tantopere adversa sit ac Ecclesia Romana est, quæ sine intermissione bella religiosa, persecutiones, & dira quævis Protestantibus minatur &, ubiubi potest, actu illos persequitur. Jam vero satis patet, Christianismum, qui pacem, qui moderationem, qui tolerantiam suadet, tyrannidem ejusmodi vimque penitus ignorare, imo proscribere, ita, ut, qui hanc viam init, eo ipso Christianorum ex diptychis nomen suum eradat. Ex Ecclesia Romana si transitum ad Episcopales Anglos facias, si & ad Reformatos pedem proferas, videbis utique nec sine animi quadam tui lætitia perspicies, florere in his cœtibus meliora principia januamque Christianismo practico multo magis, ac in Romana Ecclesia id fit, adaperiri. Certe id vel maxime in Ecclesia Anglicana laudandum venit, quod theoria theologica tam arctis limitibus haud includitur, quod &, quæ practica sunt rectamque vitæ & Christianam conformationem spectant, majori ac alibi fere fieri id assolet, cum industria in sermonibus sacris evolvuntur. Id fere in rigidioribus Theologis Anglicanis desideraveris, quod Episcopalem disciplinam, quæ multa quidem egregia secum vehit, nimis necessariam reddant, & omnes Ecclesias, ab illa quæ abludunt, naso adunco suspendant. Non est, non est, Auditores, quod externo cuidam charakteri tanta tribuamus vel ab eo veritatem ministerii ecclesiastici, veritatem sacramentorum suspendamus. Apud Reformatos, apud Remonstrantes, apud Mennonitas, queis omnibus peculiaris propriaque Theoria est, Christianismi practici commendatio utique haud negligitur, sed discrimen utique summum heic inter Ecclesias particulares est, quarum una semper altera præstantior est, prout bono vel malo Pastore vel Doctore gaudet. Quid quod eadem fere ratione & de nostra Ecclesia, quæ divino beneficio per Virum præstantissimum Martinum Lutherum reformata est, pronunciandum nobis est. Etenim, si ex confessionibus symbolisque nostris res dijudicanda sit,

da sit, nulla præstantior in orbe terrarum Ecclesia est, cujus dogmata cum verbo divino melius atque exactius congruant, ac nostra est, cui nomen nostrum, cui fidem, cui communionem nostram adspersimus. At vero, uti jam supra diximus, ad solam orthodoxiam, ad solam doctrinam res haud devolvitur. Novimus, novimus, verum esse illud *Petri Bælii* Viri præstantissimi effatum, *non vivi secundum principia.* Nec profecto in extremo illo die, ubi Judex novissimus sententiam dicet, quæstio de principiis fideque olim defensa, ut arbitror, instituetur nec interrogabitur, cuinam symbolo, cuinam confessioni quis adhinnierit. Ipse Salvator optimus atque incomparabilis Doctor, cui similem orbis haud tulit, ita hanc in rem pronunciat & ex vero pronunciat: Non omnes, qui mihi dicunt, Domine, Domine, in regnum cœlorum intrabunt sed qui faciunt voluntatem Patris mei in cœlis. Itaque eo vel tandem omnia redeunt, ut, si quidem coram Domino olim stare velimus, eo ornati sanctimoniæ flore simus, quem a nobis divinus ordo requirit. Si quid ergo est, quod in nobis deplorandum atque dolendum veniat, id sane est, quod acedia spiritualis, quod præjudicia illa practica, quæ Christianismo interno susque deque habito hominibus jejunam operum externorum sufficientiam commendant, quod voluptatum pravarum amor, qui tantopere pectoribus insider, ubivis fere regnent atque omnia vastent. Et vero, uti jam supra innuere cœpimus, Dei beneficio factum ante aliquot lustra fuit, ut nova quædam lux heic Ecclesiam collustraret, ut amor Christianismi practici pulpita ecclesiastica quateret atque in his & illis Ecclesiis locum caperet. Nescio vero, qui contigerit, ut litigia ex occasione hac nota nova scandala præbuerint eoque rem deduxerint, ut nova quædam acedia, novus torpor animos invaserit, cui vel maxime ut obvient sapientes, Ecclesiæ interest. Et vero pietatis propagandæ summus ardor & prudentia, quæ Ministris Dei digna sit, mensque valde circumspecta precibus a Deo nobis com-

comparanda est. Videmus, videmus, Auditores, præsentium temporum signa. Videmus vacillantem hominum fidem, quæ opibus, quæ honore mundano ubique conteri & conquassari & ad incitas redigi sese patitur, quæ jugo falsæ & superstitiosæ religionis facile collum præbet, si e re atque emolumentis nostris id esse videatur. Olim non erat sic, sed magno zelo defendebatur veritas ab iis etiam, quorum haud præstabat tantopere pietas. Nunc vero nescio qua ratione mutati animi tantam in religione volubilitatem induerunt, quam haud satis deplorare possumus. Ast nec saltem istam hominum volubilitatem in re fidei deploramus sed & nostræ hujus ætatis miseriam deploramus, qua sane miris periculis sincerior religio exponitur eaque, quæ securitatem Protestantibus hactenus dederant, fere sensim sensimque non sine lachrymis & singultibus piorum subruuntur. Exspectant nos, exspectant, O mei, quicunque hæc verba nostra auribus vestris & attenta mente capitis, exspectant nos, O mei, exulcerata tempora, surgunt nubila, cœlum obducitur, tonitrua haud ita e longinquo sonantia jamjam audiuntur, miserrima sane, nisi Deus nos adjuverit, quod sane, qui peccatis, qui scandalis ubique laboramus, haud meremur, miserrima, inquam, rerum facies nobis succrescit. Cui calamitati qui obviandum sit, ubi quærimus, ubi & medelam rebus cassis adspergere tentamus, facile utique videmus, nimis jejunam & infirmam esse omnem humanam opem eaque media esse adinvenienda, quæ auxilium divinum gratiamque supernam cœlestemque opem nobis impetrent. Etsi enim haud contemnendum id sit, si, qui Protestantium communi nomine vocantur, dextras heic jungant atque etiam in Ecclesiasticum fœdus jam coeant, quod, si rem ipsam spectes, iis quidem, qui mentem moderatis principiis florentem habent, facile videbitur, si vero animos hominum rigidiore doctrina communiter informato respicias, difficultatem insignem secum vehit nec nisi progressu temporis, ubi sensim sensimque ad meliora ho-

16.6.
22
21.
20.
26.
30.
31.
32.

mines manu quasi ducuntur, fiet, etsi, inquam, contemnendum id non sit, si Protestantes in amica heic oscula ruant dextrasque fraternas sibi invicem vel porrigant vel porrigere incipiant atque veritati pacique uno eodemque opere simul litent, attamen hoc ipso nondum confecta res est nec Ecclesiæ saluti satis prospectum. Scilicet nulla divina benedictio, nulla ex alto salus nunquam Ecclesiæ affundetur nostræ, nisi ea, quæ internam ipsius constitutionem vastant corrumpuntque, e via dimoveris. Duo hic scopuli sunt, *Auditores*, quos ante omnia evitare nostrarum partium est, duo gurgites, quorum idem periculum est, qui & idem exitium errantibus & naufragium facientibus afferunt. Unus est grassans incredulitas, quæ vel maxime in animis eorum, qui alto in loco positi sunt, se exerit religionisque omnis contemtus & fastidium, alter est, grassans impietas, grassantia publica scandala, quæ iram Dei provocant, quæ Deum adversus nos armant, quæ judicia Dei gravissima nobis immittunt. Et vero, qui ad Evangelii ministerium missi sumus, quorum hoc præcipuum munus est, ut homines ab amore vitiorum voluptatumque hujus mundi ad cœlestia bona sane quam præstantia vertamus, a nobismet ipsis utique initium præstantissimæ emendationis reformationisque facere debemus. O vero quam male & periculose heic res nostræ stant! Ea est Universitatum, ubi studiis incumbitur, perversitas fere communis, is eorum, qui Theologiam excolunt, spiritualis torpor, ea vitæ ratio, ut, etsi mens studentium heic ideis quibusdam theologicis imbuatur, nihilominus cor non saltem inconversum maneat & jejunum sed & inconsulta & vagabunda & libera nimis impiaque vivendi ratione pessime corrumpatur & dilaceretur. Rebus vero sic stantibus non fieri non potest, quam ut in ministeria certatim immittantur homines ineptissimi, qui de rebus divinis varia quidem garriunt, ast experimentali rerum notitia divinoque lumine & benedictione divina sanctimoniæque, quæ tam necessaria nobis est, flore destituti sunt.

Jam

Jam & ubi impietas, ubi acedia, ubi torpor ſpiritualis, ubi voluptatum amor, ubi avaritia, ubi honorum cupido animos occupat, ibi & alia mala omnia ſedem ſuam certatim figunt. Cum enim ſic in eo, quod longe præſtantiſſimum eſt, hoc eſt in fidei Chriſtianæ virtutumque exercitio animus, qui aliis rebus capitur, adquieſcere non poſſit, in ſcenam protrahatur ſpectrum pietatis quoddam opus eſt, orthodoxiæ nempe falſæ & fictitiæ defenſio, ſectæ amor præpoſterus, præjudiciorum antiquorum propagandorum pruritus, fulminum ſacrorum vibrandorum ſtudium, rigor ille theologicus, ubi ad amuſſim terminorum a nobis inventorum placita Virorum præſtantiſſimorum examinamus atque ſi vel tantiſper ab iis abludant, hæreticorum vel ſaltem ſuſpectorum loco eos habemus. Quid vero jam ſupereſt nobis, qui ſalutem Eccleſiæ quærimus, quam ut promtam regno Dei propaganda rebuſque noſtris precibus, noſtra opera, noſtris laboribus corrigendis atque emendandis manum adſpergamus? Eja, recogitemus, quanta ſit & quam præſtans vocatio, quæ ad tantum opus nos ſollicitat, quanta ſit ratio, quæ reddenda nobis olim heic incumbit, quantum ſit præmium, quod fideles manet, quanta ſit gloria, quæ recto heic tramite currentes vel tandem certo beat. Digna eſt, digna eſt opera, quam inſumamus, quam omni ſtudio urgeamus. Nec, uti jam diximus, calamitatibus, quæ proximam nobis ruinam, niſi reſipuerimus, minantur, obviabimus, niſi præſtantiſſimam heic viam iniverimus, qua noſmet ipſos reformemus, Deoque meliores atque miniſterium ipſius apriores ſiſtamus. Eja, colligenda nobis hoc ipſo tempore divina virtus eſt, qua macti olim, ubi mala horula advenerit, ſtare in tentatione & campum optinere valeamus. Facile eſt, facile eſt, hoc ipſo tempore, ubi ſecure & in utramvis aurem dormimus, fidem ſervare, facile eſt, animi fortitudinem oſtendere, ubi hoſtis nullus adeſt, qui præcordia agitet timoremque incutiat. Aſt tum, ubi in prælium abeundum, ubi manus conſerendæ, ubi calamitates perferendæ, ubi carceres

ceres adeundi, ubi sanguis fundendus, ubi vita ponenda est, aliam mens faciem facile induit, nec, nisi divina virtus præsto ipsi sit, perdurat. Et vero, nisi resipuerimus, nisi prima opera fecerimus, Deus ipse candelabrum de suo loco tollit. Itaque danda omnis opera est, omneque in id studium ponendum, ut, si quidem rebus nostris promte consulere idque, quod agendum est, ut par est, agere velimus, mente ad emendationem propriam primum directa, divino dein spiritu macti torporem istum spiritualem, qui cœtus ecclesiasticos vastat, affuso prædicationis nostræ ardore, quantum pote, tollamus, ut Christianismi practici genuina principia, quæ ad conversionem sanctificationemque hominibus instillandam vel maxime faciunt, omni nisu urgeamus, ut divino pro gloria Dei & salute Ecclesiarum zelo induti sine intermissione rebus auditorum nostrorum ædificandis mentibusque eorundem vertendis invigilemus, ut ipsi exempla gregum præstantissima evadamus & nostræ quoque conversationis beneficio & amœnitate amorem veri practicique Christianismi hominibus ubique inspirare conemur. Cætera Deo relinquenda sunt, utpote cujus hoc reservatum jus est, Ecclesiam e malis, quæ ipsam circumfundunt, eripere, meliorem ipsi formam induere atque eam ipsi faciem, eam præstantiam affundere, quam, quicunque ipsius salutem cupimus, tot precibus, tot lachrymis a benignitate divina exposcimus atque flagitamus.

Jam vero, ubi eosque sermo noster excurrit atque in prolixitatem fere, de qua non cogitabamus, effunditur, meminimus vel tandem, quid ipsum sit, cujus gratia in hunc locum processerimus atque verba heic faciamus. Sistimus, Auditores omnium ordinum honoratissimi, sistimus vobis Theologum præstantissimum atque ad res Ecclesiæ promovendas divina virtute efformatum atque imbutum, qui & principiis illis, quæ modo in egregium publicum effudimus, amplissimum adsensum suum dudum adspergit, cui, tantorum utpote meritorum

rum Viro mitram imponere Doctoralem animus noster in rerum præsentia gestit.

Est vero is, Vir summe Reverendus, Amplissimus atque Dignissimus DN. EBERHARDUS FRIDERICUS HIEMERUS, Sereniss. Wirtembergiæ Ducis Consiliarius Ecclesiasticus atque Concionator aulicus primarius. Hic ad tam splendida munera divino nutu Sereniss imoque Nutritio nostro favente evectus cum facile intelligeret, haud sane incongruum fore, si & Doctoris Theologiæ titulo, honoribus & privilegiis ornaretur, inter cætera clementiæ Ducalis, quæ hactenus exosculatus est, specimina id quoque præcipuum numerat, quod Sereniss imus Princeps noster, hoc ut summos in Theologia honores amplecteretur, nuper ipsi in mandatis dedit. Itaque, ubi ante aliquod tempus hæc sua desideria Facultati nostræ adaperuit, gravisi utique, qui eam conficimus, Theologi fuimus de Candidato præstantissimo, tot meritis, tot virtutibus qui mactus esset, & qui, cum Repetentis adhuc munere hic loci fungeretur, communem omnium bonorum adplausum jam meruisset. Nulli itaque dubitavimus, calculum nostrum petito tam honesto legitimoque adjicere, quin potius calcar addidimus atque ad præstationem eorum, quæ in legibus nostris requiruntur, viam mox monstravimus.

Nec defuit heic rebus aut, quæ leges requirunt, refugit Vir dignissimus, sed subito examine sive colloquio theologico ad disputationem, quam vocant, inauguralem progressus eum se stitit demonstravitque, qui præcipuo quodam jure suo honores in Theologia summos sibi vendicare posset. Nil itaque jam supereſt, quam ut in rem præsentem veniamus & id cujus causa actus hic institutus est, promte manu adgrediamur. Et vero sub initium rerum statim meminimus, opus heic esse venia Dignissimi Domini Cancellarii, qui, cum ob senectutem, quæ ipsa morbus est, præsentiam suam actui huic adspergere haud

potuerit, ampliſſimam utique facultatem Sume Reverendum Dominum Candidatum noſtrum in Doctorem creandi nobis conceſſit, idque ſequenti charta, cujus contenta prælegimus, quæ ita ſonant:

Ego JO. WOLFGANGUS JÆGER, S. Theol. D. & Profeſſor Primarius, Academiæ Tubingenſis Cancellarius, Eccleſiæ Præpoſitus, Abbas Adelbergenſis & Generalis Superintendens Collegæ meo Chriſtophoro Matthæo Pfaffio, S. Theol. Doctori & Profeſſori Publ. Ord. Eccleſiæ Tubingenſis Decano & Ill. Stip. Superattendenti, Facultatis noſtræ hoc tempore Decano atque ad actum hunc legitime conſtito Promotori pro ea, qua polleo, autoritate publica ab Imperatoribus conceſſa & confirmata do tribuoque licentiam & facultatem Virum ſumme Reverendum Digniſſimumque D. EBERHARDUM FRIDERICUM HIEMERUM, Sereniſſ. Principis noſtri Conſiliarium Eccleſiaſticum & Concionatorem aulicum primarium in Doctorem noſtri Ordinis declarandi eundemque omnibus privilegiis immunitatibus & dignitatibus Doctoralibus inſigniendi & condecorandi. Faxit Deus O. M. ut promotio hæc in Numinis ſui gloriam Eccleſiæque emolumentum & ſalutem evadat.

Quæ ipſa cum voluntatem Digniſſimi Cancellarii ſatis ſuperque manifeſtent, quam non poſſumus non ea, qua par eſt obſervantia exoſculari, nil reſtat jam, quam ut, antequam ad creationem ipſam progreſſus fiat, capita juramenti ſolennis & conſueti a Nobiliſſimo Domino Syndico prælegantur. Et vero fidem hic ſuam pro more mox obſtringet Summe Reverendus Dominus Candidatus.

Quod itaque acceptum Deo, quod Eccleſiæ ſalutare, quod felix denique & fauſtum atque fortunatum auſpicatumque ſit, ego *Chriſtophorus Matthæus Pfaff*, S. Th. D. PP. O. Eccleſiæ Tubingenſis Decanus & Illuſtris Stipendii Theologici

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0076
DFG

gici vocatus Superattendens, Facultatis Theologicæ hoc tempore Decanus atque ad hunc actum legitime constitutus Promotor Se Dominum *Eberhardum Fridericum Hiemerum*, Sereniſſimi Principis noſtri Conſiliarium Eccleſiaſticum & Concionatorem aulicum primarium, SS. Theologiæ Doctorem creo, creatum proclamo, proclamatum declaro, talemque ab omnibus haberi & ſalutari deinceps volo, jubeo, mando, ampliſſimamque Spiritus diviniſſimi gratiam Tibi, Vir Summe, adprecor, ut virtute præſtantiſſima mactus ſalutem egregiumque publicum Eccleſiæ magno cum rei ſacræ incremento promoveas regnumque Dei opera tua plurimum ædifices augeasque in nomine SS. & individuæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus S. Amen. Prærogativas inſuper, privilegia & immunitates, quibus Ordo noſter gaudet, liberaliter ad utendum fruendumque Tibi impertio & concedo. Hæcque cuncta, ut in oculos ſpectantium incurrant luculentius, priſcis receptisque hactenus cærimoniis obſigno. Age itaque & ſuperiori huic cathedræ, ſi placet, propiorem te ſiſte & mitram purpuream primum capiti tuo imponi patere, libertatis ſignum, qua antiqua præjudicia, malas iſtas Theologiæ peſtes ſub pedem mittimus, at vero & ſymbolum coronæ illius præſtantiſſimæ, quæ olim tempora noſtra cinget, ubi legitime certaverimus. Addo annulum, nuptias enim hodie cum veritate, cum orthodoxia & cum pietate celebras & amico connubio hæc omnia jungis. Librum primo apertum trado, ut ex ſolis ſcripturarum libris ſapias eosque diurna nocturnaque manu ſemper verſes, clauſum dein, ut ex ipſo cordis fundo, quæ ad ædificandam faciunt Eccleſiam, in egregium publicum proferas.

Quod reſtat, primus ego, Summe Reverende Domine Doctor, hoc ipſo titulo te compello, atque de honoribus, queis modo ornatus fuiſti, ea, qua poſſum animi contentione

& lætitia tibi gratulor, Deumque O. M. ſupplici prece veneror, ut cœleſtis ſuæ benedictionis rivos plane luculentiſſimos in TE effundere laboresque tuos inſigni prorſus gratiæ ſuæ præſtantiſſimæ ſuperpondio beare, omnigenamque Tibi felicitatem proſperosque rerum ſucceſſus affundere dignetur. Age vero & ſi placet novo hoc honore mactus argumentum quoddam Theologicum eviſcera additaque gratiarum actione toti huic actui finem impone.

D I X I.



16. c.
22.
21.
20.
26.
30.
31.
32.

EBERHARDI FRIDERICI HIEMERI,

Sereniſſimo Wirtembergiæ Duci
a Sermonibus ſacris primariis & Conſiliis
Eccleſiaſticis

ORATIO
DE
BABELIS EVERSIONE,

Tubingæ d. XIX. Martii A. MDCCXX.
recitata,
Cum
Gradum & Inſignia Doctoris Theologi
capeſſeret.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0079
DFG

SERENISSIMI atque POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
EBERHARDI LUDOVICI,
Ducis Wirtembergiæ ac Tecciæ, Comitis Montispeligardi, Dynastæ Heidenheimii &c.
Juxta &
SERENISSIMI ac CELSISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI LUDOVICI,
Wirtembergiæ Tecciæque Ducis, Comitis Montispeligardi, Heidenheimiique Dynastæ,
Principum ac Dominorum nostrorum undique
Clementissimorum,
LEGATE SPLENDIDISSIME,
PER-ILLUSTRIS, GENEROSISSIME atq; EXCELLENTISSIME
DOMINE
CHRISTOPHORE PETRE a FORSTNER
in Dambenoy,
humillime modo laudatæ Serenitatis Wirtembergicæ Consiliarie Status intime,
Supremi Dicasterii Vice-Præses, Illustrisque Collegii Vice-Ephore, Et Brackenheimensium Satrapa,
DOMINE ET MÆCENAS PERQUAM GRATIOSE!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0080
DFG

Florentissimæ ac Illustrissimæ huius

EBERHARDINÆ

Domine RECTOR Magnifice!

Illustrissimi Domini COMITES!

Excellentissimi Celeberrimique rerum tam divinarum, quam humanarum Domini Doctores atque Professores,

Vosque reliqui Auditores, Hospites ac Cives omnium Ordinum atque Dignitatum Spectatissimi Honoratissimique!

Denique Tu Corona Dnn. Studiosorum in spem Ecclesiæ Reiq; publicæ latissimam succrescens,

Generosissima, Nobilissima, Clarissima!

BAbeli sub Auspiciis Ductuque Immanuelis nostri regnantis, vincentis, triumphantis bellum indicimus: Babelis munitiones impugnatum imus: Babelis aggeres, mœnia, Turres, structuram denique ejus universam dirutam soloque adæquatam percupimus. Rotunde, explanate, distincte, quid animus meus, & is quidem non inanitati suæ sed plenitudini Roboris & Virtutis Salvatoris nostri confisus, tanquam parturiat, exposui & flumine dicendi uberiore tanquam effudi. Premo vestigia Vatis sancti Jeremiæ, Capitis quinquagesimi versiculo quadragesimo quinto & sexto ista perhibentis: Percipite consilium Jehovæ de Babele captum, & cogitationes Ejus, quas habet adversus inco-

incolas in terra Chaldæorum: ne vivam! Nisi Tyrones Pastorum solo eam æquaverint, & habitandi locum eorum diruerint. Audiet terra clamorem & contremiscet & apud Gentes increbescet, cum Babel capietur. Gestit animus meus pernoscere sobolem istam Pastorum a Vate sancto evocatam. Flagitat mens mea precibus ardentibus videre cohortem istam delectam, sub ductu Pastoris animarum supremi JESU nostri, victricia crucis signa præferentis, pedem jam jamque inferentis, scalas urbi huic totum fere terrarum Orbem præstigiis suis fascinanti admoventem, mœnia ejus conscendentem captamque e fundamentis disjicientem. Neque id solum, sed aggregari me quoque pervelim ud Tyrones istos lectissimos, gratiaque & virtute Spiritus S. ad id parari, formari, instrui, ut non nomen solum, sed animum quoque & alacritatem ad militiam & oppugnationem istam sustinere & exerere mihi contingat. Suspicio venerabundus Consessum Ductorum & Doctorum, quibus lectissimam Tyronum sobolem præceptis & institione solidiore tradenda ad diversa tyrocinii literarii, tanquam militaris, munia instruere & exercere curæ cordique est: qui uno ore certe animo eodem, idem mecum se quoque velle, atque ipsos quoque socios mihi adsciscisi se percupere, annuere mihi videntur. At circumspicio quoque numerosam tyronum lectissimorum, atque in his tyronum Pastorum, in quos hoc nomen apprime quadrat, copiosiorem coronam. His vero in aurem, & quod malim, in animum dictum atque adeo insculptum velim, ut meminerint delectos se esse & evocatos in hanc ipsam palæstram, ut probi Pastorum tyrones, Davidis opilionis, Goliatum lapide funda excusso dejicientis similes evadant: auscultantesque fidelia Ductorum de pietate Deo probata & eruditione solidiore tradita præcepta, & abhorrentes mollitiem mundi carnis libidinisque depravatæ, fingi se formarique tales Pastorum tyrones patiantur, quorum opera

Spiri-

Spiritus Sanctus in ardua Babelis, quæ nunc maxime vires suas collectum it & roboratum, impugnatione uti possit. Interfuit affectus mei declarandi in filum sermonis admonitionem istam intexere: quod ipsum ne nimium distendatur & in principio dicendi fere abrumpi videatur, in quo perorandi initium feci, persistam &, quod voluntate faventiore Auditorii hujus splendidissimi fieri velim, de BABELIS EVERSIONE inter calentia animi suspiria, ut & animo & linguæ meæ Spiritus Gratiæ moderetur, pauca dicam.

Ne vero quem in ipso dicendi initio portentosum Babelis nomen in notione ejus enodandæ distortum & ambiguum reddat, ipsum supremum Numen cavit, Urbemque istam atque Turrim inprimis excelsam, ab hominum turba post inundationem mundi ad intervertendum DEI consilium forte altera in improbos homines animadversuri, extrui cœptam quidem, at consilium istud linguarum repentina confusione disturbatum fuisse, capite Geneseos undecimo edocemur. Vanitatem itaque, inanitatem & imbecillitatem Babelis, si primam ejus originem nominisque impositionem spectemus, ante oculos plane & liquide esse positam, perspicitur: Cum confusio recte ordinata disturbare quidem conetur, at ipsa machinationis istius vanitate, idque flatu & halitu verbi potentiæ divinæ unico confundatur & instar palearum dissiciatur, quod animum probe demittere, eundemque ab anxietate ex formidandis machinationibus Babelicis profecta cogitatione virtutis divinæ allevare hoc ipsum virtutis divinæ specimen admirandum nos commonefacit.

Et sic quidem & præposterum istud in Babele ista extruenda consilium & successus illius consilio isti stolido belle conveniens id fere efficit, ut Babelem omnino negligamus, explodamus, floccipendamus. At surrexit tanquam e ruderibus urbis istius dirutæ, magno molimine, majore apparatu maximoque robore urbs alia Babelis nomine ipsa quoque insigni-

ta, Regni, cui nomen ab ea inditum est, primaria: Quæ urbi Hierosolymæ capiti Regni Judaici infensa & infesta eo usque machinationibus suis processit, ut eam non oppugnarit solum, sed ceperit quoque, ipsamque & templum DEO dedicatum incendio deleverit, populumque Dei delectum in captivitatem abduxerit duraque servitute oppresserit. Ex quo figuratarum adumbrationum non ignari id jam considerate collegerint: Robur aliquod potentiamque urbi DEO sacratæ, sive cœtui fidelium probo & genuino infensam, ad eamque oppugnandam & opprimendam omni nisu & contentione conversam: Conditionem quoque Civitatis Deo dilectæ, ex acerbissima ejus oppressione (si e specie & facie externa judicandum sit) longe afflictissimam ista Babele ejusque dominatione fuisse denotatam. Sunt certe indaginis altissimæ, quæ Spiritus S. in lamentatione de Babelis hujus insolentia, insultatione, exagitatione acerbissimisque in populum DEI, sub captivitate ejus mœrentem, plangentem & ejulantem dicteriis, Psalmo Davidis centesimo trigesimo commemorat, hisque coloribus acerbissimum populi Israelisque Dei genuini dolorem ex oppressione Babelis, ipsi insultantis, oriturum graphice depingit: Spemque status & conditionis alicujus, externo aliquo splendore & magnificentia in Ecclesia, nexu arctiore interno capiti suo conjuncta & cum eo tanquam conglutinata, luculente præcidit & extinguit. Reperiit vero nodo huic duro pluribus Regnis & Imperiis plusquam duro, cuneum duriorem arbiter rerum justus, istudque regnum diversorum. Flagellum scutica valentiore ita contudit, ut excellentia ejus & magnificentia subito evanuerit & in nihilum adeo omine lætissimo & exoptatissimo abierit.

Eructavit vero Appollyon & Abbadon huic nomini suo probe respondens Diabolus tertiâ, binis anterioribus longe splendidiorem valentioremque Babelem, ex imis Orci, in quo habitat,

bitat,faucibus,portentosis Babelis destructæ utriusque machinationibus tanquam in simulachro aliquo adumbratam: cujus structuram, magnificentiam, dominationem late patentem,sedem externam primariam, fulcra formidanda, dilatationem ampliſſimam, fastum turgescentem, sitem sanguinis obsequium detrectantium insatiabilem & reliqua Spiritus S. vivis coloribus ita adumbravit, depinxit, repræsentavit: ut, qui depictam istam ejus imaginem probe consideraturus sit, plane perspicere possit: Esse eam civitatem aliquam magnifice potentissimeque dominantem: Sive cœtum aliquem multitudine,amplitudine, splendore, magnificentia, potentia apparatuque formidabili supra cœtus omnes eminentem,admirationem sui exigentem & imperantem,in dissentientes & contradicentes furore incredibili sævientem,humiles Solymæ casulas infestantem specieque externa opprimentem.

Facit brevis hæc descriptio, ut quænam civitas quique cœtus coloribus istis depictus sit, pernoscendi avidi simus. Exigit quoque imaginis larvæque istius Apocalypticæ ratio faciesque formidabilis, ut civitati alicui spirituali respondentes & similitudine convenientes cœtus Ecclesiæque omnes in partes, ab aliis discrepantes, abeuntes, statum conditionemque suam probe expendant & examinent, ad pernoscendum: Annon ipsæ aliquid statuant, foveant & moliantur, quod in simulachris istis binis & Imagine Apocalyptica portentosa delineatum sit. Invenient quoque cœtus, qui abhorrere se a Babele ejusque structura & machinationibus abominandis non solum ore profitentur, sed id ipsum doctrinæ, cultus disciplinæque professione discrepante manifesta ratione comprobant, in membris civitatis sive cœtus sui proh dolor! non paucis labes sordesque in Babele a Spiritu S. depictas plurimas: in quibus acquiescentia in professione exercitioque cultus Evangelicæ Ecclesiæ exteriore, neglecta vera cordis immutatione vitaque spirituali

interna, Evangelicæ Religionis libertatisque ad licentiam carnalem abusus, ob quem Evangelici pessime audiunt, distortus ipsique Servatori modis indignissimis injurius, partium studium cum acerbo in contradicentes odio conjunctum, in oculos acutiorum tam manifeste incurrunt, ut qui redolere ista Babelicam structuram, superstitionem, ambitionem & amarulentiam negaturus sit, cœcitatem se mentisque caliginem ex poculo isto Apocalyptico imbibisse manifesto indicio sit ostensurus.

At cum non de membris cœtus sive civitatis seorsum disturbationem molientibus, sed de civitate aliqua cætuque universo, in iisdem structuræ suæ & religionis, imagine Babelis Apocalypticæ delineatæ institutis consentiente & conspirante, Spiritui sancto sermo scopusque intentus sit, si cœtus in universum omnes circumspexerimus, ROMAM, eamque non ut urbem, in quam homines ad eam inhabitandam coiverint, communi ista cum aliis urbibus civilique societate in illis instituta ratione spectatam, sed ejus caput sedesque primaria est, Regnum a gubernatione ejus dependens, civitatem istam latam & amplam esse, in quam basis Babelis a Spititu S. depictæ posita in exteriore sacrorum Imperatorum acquiescentia & structura ejus operosa: superstitio nimirum incredibilis: Splendor & magnificentia obstupescenda: Dominationis amplitudo fastigium humanum excedens: Arrogantia, odium & cœdes in dissentientes sitisque sanguinis eorum profundendi nunquam satiata & reliqua a Spiritu sancto adumbrata exactissime quadrent, animo ab omni acerbitate abhorrente, vestigiis vero a Spiritu Sancto impressis insistense asserere non jam dubitamus.

Perstringere hic solum, idque vel tribus verbis animus mihi est, portentosas magnæ istius & fastu suo ad cœlum usque se efferentis Babelis machinationes, dum proposito ante

oculos

oculos veteratoris astutissimi Apollyonis archetypo & exemplo nunc astutia, calliditate technisque fabricatis utitur, fucoque sanctitatis speciosæ, ritibus, vestibus, cantionibus precationibusque ferventissimi in animis ardoris speciem ostentantibus, disciplinæ rigore, templorum splendore, sacrorum Theatrica agitatione & reliquis animos ad superstitionem proclives in admirationem, stuporem suique venerationem allicit & trahit, propinatisque, tanquam amatorio, quod porrigit, poculo, honorum, titulorum, divitiarum munerumque splendidissimorum reliquorum Philtris salivam ista in pretio habentibus movet, ut mero isto palato carnali inprimis jucundo ad ebrietatem usque se ingurgitent: Nunc autem feroci impetu hostilique odio, minis, vi, furore & sævitia invehitur, sputa ejus lingere detrectantibus irascitur, merces ejus venum expositas floccipendentes insectatur, vitia sub fuco speciosо latentia detegentes execratur, bellaria ejus fastidientes proscriptione, bonorum direptione, carceribus, ferro, igne persequitur suaque dominatione cœlum, terram, inferos, superos, viventes, mortuos, homines, angelos, Numen denique supremum adoritur, quod cum dies in lucem liquide proferat, dicendo a me non erit enarrandum.

Hic vero hæsitandum forte, pes referendus cogitandumque sit. Cum tantum Babelis hujus robur, tanta potentia, tantus furor sit tantaque sævitia, nihil esse contra ea audendum, sed herbam porrigendam cervicemque sub jugum ejus incurvandum: Hoc vero esset causam prodere, signa Servatoris nostri JESU Christi victricia deserere, fideque fracta ad hostium castra transfugere, quam ignaviam, timiditatem & perfidiam Spiritus Dei ad saniora magisq; pia consilia mentē nostram inflectens a nobis avertat! Unctus a Patre Rex Sionis in monte sancto, in magnificentia victrice & triumphatrice collocatus Babelem it oppugnatum, it destructū, it funditus deletum. Diffavit

flatu oris sui operosam Babelis primæ machinam, dissolvit protenta manu Babelis secundæ coagmentationem ex hominum sententia judicioque indissolubilem, atque impulsu virtutis suæ validissimo molem istam obstupescendam non solum labefactavit sed funditus evertit. Dissipabit quoque Babelem portentosam tertiam, eamque non solum in cineres convertet, sed in nihilum etiam rediget.

Ne vero blandiri mihi cogitationibus in cerebro effictis aliisque suavibus somniis fabulam narrare videar, expendere cupidos pernoscendi stabile rei hujus fundamentum & considerare pervelim, quæ Spiritus S. Johanni Theologo de re hac certa & explorata capite Apocalypseos decimo septimo & octavo revelavit, quæ, ut patientiæ hujus Auditorii splendidissimi parcam, in nervos pauciores redigam.

Magna meretrix vocatur, quæ in fronte nomen inscriptum habet magnæ Babylonis, in quam magno judicio animadvertendum sit. Quod est, quærimus, illud judicium? Exuet eam Rex idem maritusque Sionis suæ ornatu meretricio omni, nuditatemque ejus coram amatoribus ejus quoque deteget, ut ea perspecta ab ea abhorreant eamque abominentur. Vidit Apostolus portentosam istam mulierem sanctorum sanguine profuso inebriatam; At attentus auscultavit quoque compensationem crudelitatis ejus duplicatam malaque gravissima eodem die eam oppressura. Et ne quid in expectatione rei hujus desideretur, audivit Angelum de cœlo se demittentem vociferatione vehementi exclamantem: Cecidit, cecidit vero Babylon ista magna domiciliumque Spirituum impurorum omnium facta est. Viditque inter congratulationes & exultationes sanctorum Apostolorum & Phrophetarum demersionem ejus lapide molari ab Angelo in mare dejecto præfiguratam & adumbratam. Quod ipsum ad spem vivaciorem nos excitabit, si

cogi-

cogitaverimus, quam exacte eventus prædictioni de lethali vulnere portentoso isti animanti e mari se efferenti inflicto ac iterum coeunte & sanato responderit. Loquitur dies, perculsam fuisse validissime dominationem in spiritualibus Romanam intolerabilem, Reformatione a B. Luthero virtute divina excitato suscepta & incredibili successu per patentissima Regna dilatata. At coire vulnus istud his nostris oculis ipsi quoque videmus, causamque retardati istius successus nobis ipsis, ingratitudini gratiam Evangelii aspernanti, torpori & languori in praxi & exercitio Pietatis imputandam habemus. Ex quo divina indignatio cum in nos provocetur & acuatur, mirum nemini videatur, incrementa Babelem vigilantem & excitatam ad rem suam retindegrandam ex languore nostro capere occasionique, cui nos indormimus, alacriter invigilare. Quem torporem castigationis promeritæ animadversio, adhibita ad eam exercendam Babele ipsa, cum discusserit judiciumque, cujus initium in domo sua Dominus faciet, acerbis inflictionibus executus fuerit: In Babelem mensuram sævitiei suæ adimplentem rigorem suum effundet judiciique, quod ei interminatus est, rigore, quem in extremo die demum in eam effusum iri, distorta cavillatio est minarumque divinarum enervatio, cum communis die illo critico mundi conflagratio singulare quidpiam in Babelis excidio designare nequeat, in eam animadvertet: Facit vero explorata judicii hujus domui Domino dedicatæ impendentis significatio, acerbitas & propinquitas, ut antequam ominandi ista clausulam faciam, Protestantes nomen hoc probe tuentes idque non nominis solum professione, sed doctrinæ & vitæ institutis quoque exprimentes, non perfidentia aliqua & temeritate, sed amore ad instinctum & leges Christi exacto incitatus, moderatione, veneratione & demissione animi conveniente compellē. Notæ sunt nobis viæ rationesque Domini usitatæ, secundum quas judiciorum ejus sanctorum initium in nobis, domo

domo ipsius, futurum esse exploratum habemus. Videmus signa temporum, tristissima nobis minantia: Observatur nobis hostium perniciem nostram machinantium formidandus apparatus. Male consulimus in nos ipsos, si spe, mala ista nos non esse petitura, inani nos lactamus: urget potius propinquitas malorum cervicibus nostris impendens, ut torpore & languore omni discusso ad ingruentia judicia divina nos paremus, ne imparatos nos offendant & opprimant. Levati vero sumus disquisitione anxie suscipienda, quibus præsidiis ad suscipiendos graviores istos impetus munire nos oporteat. Commendat nobis veritas ipsa absolutissima indagationem, agnitionem veritatis, ejusque in succum & sanguinem conversionem: qua nisi exorata Spiritus S. mentis nostræ illustratione animi nostri imbuantur, in errorum imbropitatisque caliginem ita implicabimur, ut tenebræ vi summa nos sint oppressuræ. At fallimur nosque ipsos in errores gravissimos inducimus, suscepta cogitatione: notitia veritatis Evangelicæ in cerebro hærente præsidium nobis esse paratum; Vita Evangelio digna accedat oportet, si testatum facere velimus mentes nostras luce Evangelii esse collustratas: Et hæ quidem sunt illæ maculæ, quas adversarii nostri nobis affricant: dum scandala inter Protestantes edita viamque imbrobam nodis itentidem exprobant: quas nisi diluimus confirmata in studio pietatis constantia, jugulum nostrum aut ipsi petimus aut jugulandos nos hostibus nostris objicimus. Memineritis, scio, optimi nostri Servatoris Magistriquefidelissimi, quibus armis instructus adversus hostes se muniverit, precibus lachrymisque copiose profusis; Usa est his armis Ecclesia, huic suo capiti adhærens genuina. Paratum est nobis quoque in illis ex pectore virtute Spiritus S. conquassato & perculso elicitis præsentissimum adversus machinas hostiles omnes præsidium.

Compertum denique habetis, me tacente, dissensiones inter

nos

nos exortas & damna nobis plurima intuliſſe & adverſariis-anſam ſuppeditaſſe, in nos ſe diſcordia noſtra armandi perniciemque, in quam ſingulos inductum eunt, univerſis machinandi. Quin Spiritu Servatoris noſtri conſenſionem in ipſo radicatam, amorem in medullis novæ mentis excitatam concordiamque Conſilia, inſtituta, ſtudia precesque noſtras adunantem, poſitis acerbitatibus & contentionibus amarulentis, precibus ardentisſimis contedimus & deprecamur. Quod ipſum cum Spiritum gratiæ efficacem in nobis operaturum, votisque & deſideriis noſtris pondus valentisſimum additurum eſſe confidam, exſtimulare auditorium hoc ſplendidisſimum, ut, in quo initium, finem dicendi quoque faciam, ad ſuſpirium iſtud pluribus notum mecum quoque profundendum, Pietas ſtimulos mihi infigit.

Erit, erit illa hora,
Qua triumphet gens Sion,
Quando gemens ſine mora
Contremiſcet Babylon.

Et ſic quidem ſatisfactum forte ſit partibus in dicendo ame præſtandis, niſi potisſima reliqua ſit, qua ne ſuperſedeam, pietas, demisſio, mens gratitudinis cupida, veneratio, obſervantia, amor denique me incitant & commonefaciunt. Procumbo itaque, DEUS ter Sancte! ter Optime, ter Maxime! coram Majeſtate facieque tua ſanctisſima, & ſuſpiriorum ex mentis acceſſu abdito exhalantium cum Jacobo hanc ſummam facio: Vermiculus putidus, impurus, abjectus ſum indignusque miſericordia tua omni, qua me ex abundantia gratiæ tuæ infinita affeciſti. Quis ſum, Domine, & quæ Gratia tua iſta eſt, quod ad arduum in Eccleſia tua gradum, quem timide mihi omnino diffidens conſcendere juſſus ſum, a Te ſum provectus? Tuus ſit honor, tua ſit gloria, tuum decus omne! At tu me

non Doctorem sed discipulum & tyronem tuum probum, JEsu Magister optime, creare, fingere & ad tyrocinium istud parare velis, quo posito inter illos tibi delectos Pastorum tyrones ipse quoque scribar fidemque tibi datam sartam gratia Spiritus S. mihi collata prestare queam.

Flecto genua mea nunc quoque coram Serenissimo Principe ac Domino Domino & Nutritio meo Clementissimo. Fui enim tot annorum tractu Alumnus Clementia Ducali victu, amictu institutione quoque largissime affectus. Premo silentio meditate ampliſſima & uberrima munificentiæ Serenitatis ejus Gratiosissimæ hactenus in me abundantissime derivata munera, quæ DEO compensatori munerum istorum luculentissimo ad compensationem fœcundissimam in precibus meis calentibus mente memori expono. Confer, Benignissime DEUS! in codicillos tuos memoriales luculentissima ab hoc Principe, Uncto tuo, nostro meoque Clementissimo in me collata gratiæ ejus uberrimæ munera omnia, mentem ejus interiorem, o Bone DEUS! Luce, virtute & ardore Spiritus tui vivacissimo colluſtra, serena, confirma, *ut alter tuus, quem in sinu* amoris & præsidii tui tenerrime foveas, Serubabel evadat, qui in structura Solymæ tuæ, opera & virtute omni præstita, corona quoque remunerationis tuæ benignissimæ gratiosissime honestetur.

Demitto pariter animum poplitemque coram Serenissimo Principe Hæreditario, Domino meo Clementissimo; Non enim non possum differere, nunquâ me demissionis humillimæ causa convenire, nunquam ex partibus officii munerisque sacri Serenitati præsto esse, nunquam ex conspectu Ejus benignissimo abire, quin me clementissime, gratiosissime accipiat gratiaque sua cumulatissima perfundat. Suscipiat DEUS Serenissimi & Patriæ quoque Patris delicias, Serenissime Domus ornamentum, Patriæ solatium exoptatissimum in amorem, gra-

gratiam, favorem præsidiumque faventissimum, validissimum.

Inclino caput quoque veneratione observantissima coram Te, Sereniſſimorum Principium Legate Splendidissime; Sum & Excellentiæ Tuæ numeris pluribus obstrictus & ad gratitudinem exercendam summopere devinctus. At cum, quam curta tenuitatis meæ supellex sit, probe mihi conscius sim, magna in favore hoc Tuo optime cupiente compensando Tibi polliceri temerarium esset futurum, mentem, officia gratitudinis, precum, obsequii quoque præstandi cupidissimam venerabundus Excellentiæ Tuæ defero & hac quoque mentis meæ ab ingratitudine abhorrentis significatione Nominis Tui Splendidissimi memoriam observatissimam obsigno.

Suspicio insuper observantia obsequiosissima Dominum Rectorem Universitatis Magnificum, Patres Senatus Academici conscriptos, Universitatemque hanc antiquitate & splendore suo maxime conspicuam; Bene atque optime adeo precari & ominari tam Capiti hujus Splendidissimi Ordinis quam quoque Columinibus ejus tanquam lacertis spectatissimis Corporique toti maxime spectabili pietas in Deum monet, dictitat. Pluribus istis pietatis officiorumque vinculis, quibus obstrictus sum, satisfaciendi, unica mihi ratio reliqua est in memoria animi mei perenni, precibusque votisque calentissimis: Ut DEUS Ordinem hunc academicum ipse virtute Spiritus sui regere, omnium qui in eo continentur & Antistitum Venerandorum maxime mentes sapientia sua cœlitus & in animos penitus influente imbuere, institutionem omnem traditam & perceptam fœcundare, adversus machinationes Spiritus tenebrarum tueri & posteritati quoque luculentum hoc institutionis solidissimæ in hac literarum officina percipiendæ beneficium asservare benignissime velit.

Parcior sum, Domine Decane & Promotor Summe Re-

verende, in significatione amoris, favoris studiique Tui in me propensissimi publice declaranda: Augeat, ornet, confirmet stabiliatque Te gratia virtusque Spiritus sancti in arduo, in quo consistis, muneris tui gradu, roburque & mentis interioris & animi corporisque incrementis in dies majoribus amplificet, fidelissimam, quam integerrimo animo tradis, institutionem tuam largissime fœcundet, Teque ad graviora in militia ejus atque ea imprimis adversus Babelem suscipienda munia magis & magis instruat paretque.

Splendidissimo denique huic Auditorio ejusque Membris singulis singulari hac benevolentiæ eorum significatione, qua solennitatem hanc publicam præsentia sua frequentissima honestare non sunt dedignati, ad officia observantiæ, amoris studiique propensissimi devinctum me esse profiteor, Illisque officia mea, quantulacunque a tenuitate mea proficisci possint, animo integerrimo defero meque eorum Favori & precibus maxime enixe commendo.

DIXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0094
DFG

Index.

1. Otto. Christ. de Lohenschiold de Modo probabiliori quo prima in Americam Septentrionalem immigrationes sunt factae.
2. Christ. Henr. Eisenberg (Prof. J. G. Michaelis) de Progressu & tenacitate salutaris doctrinae sub Nomine.
3. Frid. Ludw. Wallstab Versuch einer Geschichte der Bibelübersetzungen der Alten Hebräer. Erster und anderer Theil.
4. Jo. Gottl. Werner (Prof. C. G. Hofmanno) de Demonstratione Exegeticâ.
5. Jo. Petr. Hutzelfieder (Pr. C. B. Michaelis) de Modestiâ Exegeticâ.
6. Jo. Laur. à Morheim de Odio Theologico.
7. Jo. Georg. Weissenborn (Prof. J. S. Müllero) de Unicâ existente Religione revelatâ & Fontibus ex quibus religionum diversitas (erit excipienda, principiis.)
8. Jo. Steph. Fretzel (Prof. Lud) de Hominis obligatione ad utendum mediis Revelationis, & arte admissâ illis veritate divinam.
9. Jo. Christ. Klozius de optimâ ratione veritatem religionis Christianae demonstrandi.
10. Paul. Jac. Foerstch de Praestantiâ argumentorum historicorum in probandâ Christianae Religionis veritate.
11. Jo. Jacob. Laurh. Sundtheim de Vi argumenti, quod ad tuendam Christ. Rel. divinam originem à constantiâ martyrii desumitur.
12. a. Jo. Christ. Pfaffii Veritas Ecclesiae Evangelicae ex Iure Canonico & Comitiis demonstrata
b. _____ ex Conciliis demonstrata. Cum Praefatione
Christ. Matth. Pfaffii de Testibus veritatis in Ecclesiâ Romanâ.
13. Jo. Christ. Gottsched de Luminibus Doctis medii aevi veritatis evangelicae Testibus.
14. Jo. Guil. Gadendam de Rationibus regni Imperii, quibus in exercendis Religionis controversiis docendi dicendique formula praescribitur.
15. Chr. Guil. Franc. Walchius de Libertate Imperii civitatibus a pace religiosâ unanimi exclusis.
16. Acta Doctoralia Himerciana
a. Co. Frid. Himerus de Moderatione Theologicâ.
b. Christ. Matth. Pfaffii Oratio de Signis praesentium temporum spiritualibus & de felici an infelici Eccles. hoc aevo statu.
c. Ch. Fr. Himeri Oratio de Babelis Creatione.
17. Casp. Jacob. Fr. Gros von der Bürgerlichen Gesellschaften durch die Religion verfallen.
18. Joach. Hildebrandi Rituale Eucharistiae Ref. Ecclesiae.
19. Jo. Guil. Baierus de Aquâ Lustrali Pontificiorum.
20. Jo. Dan. Liesling de Artibus Episcopi Romani in subjiciendâ Monarchiâ.
21. Christ. Matth. Pfaffius de Aureolis Virginum, Doctorum & Martyrum.
22. _____ de Stereotypiis medii aevi tam Latinis quam Graecis.
23. Andr. Weber de Persuasione fecundâ malorum tristissimorum matre.
24. Otto Christ. de Lohenschiold Theses ex Historiâ Politicâ.
25. Jo. Paul. Reinhardus de Historiâ Litterariâ Naturâ.
26. Aug. Frid. Mullerus de Lectione Librorum doctâ.
27. Jo. Christ. Gottsched de Temporibus Teutonicorum Vatum Mythicis.
28. Frid. Max. Mauritius (Prof. J. Fr. Stiebritzio) de Methodo scientificâ ejus applicatione ad Linguas docendas.
29. Wolf Balth. Adolph. de Steinwehr de Fructibus ab homine germano litterato ex eruditâ patrii sermonis cognitione percipiendis.
30. Jo. Christ. Leonhardi Usus Logicarum Analyseon & Tabularum analyticarum in Carminibus imitatione exprimendis.
31. Georg. Casp. Kirchmaierus de Titulis aliquot honorum ex antiquitate eruditorum.
32. Jo. Christ. Ludov. Brüggemann (Prof. Jo. Matth. Gesnero) de Terriculis puerorum.
33. Jo. Dav. Michaelis Nova versio Partis Suae II. Cogani, cum Illustrationibus subjectis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0095
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0097
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0099
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0100
DFG

22.

ciliorum editionibus ab HARDVINO & Co-
(b). Hic capitulo XVII. legas, *ipsum Do-*
& sanguinem purissimum in communicantium
m introduci, manibus dentibusque concîdi &c.
addatur, accidentia saltem concîdi & dividi,
sti indiviso, quæ manifestissima contradictio
versionem Gallicam ARNALDI (c). Non
hîc de autoritate hujus Concilii & de DOSI-
præside plura dicamus, non enim instituti
is hoc opus foret. Videantur, qui controver-
ram reciprocavere RENAVDOTIVS (d) &
(e), qui & ipse hoc Concilium exhibet, sed
to C. XVII. additamento (f).

n de hoc Concilio diss. scripsit TH. ITTIGIVS,
otade dissertationum dissertationi de hæresiarchis
lici subjecta numero V. p. 412. sqq. habetur.

em editionem sub nomine *Enchiridii* dedit DOSI-
uchoresti in Walachiâ A. 1690. impressam.

erpetuité de la foy T. III. L. VIII. Ch. 15. f. 510.

la défense de la perpetuité, tùm T. IV. de la per-
71. Ch. 6.

Amstelodami A. 1718. 4. les lettres anecdotes de
ar & le Concile de Jerusalem tenu contre luy.
Concilii acta, originalia illa, ex Bibliothecâ Re-
si nactus erat AYMONIVS.

. T. XXI. f. 1750. 1751. ed. Ven. & AYMONIVM

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842149139/phys_0101
DFG